XXVII*
C
15
NAPOLI

LVI
D
16

XXVII*
C
15

Digitized by Google

D
76

Digitized by Google

Digitized by Google

JOANNIS HENRICI JVNGII, JCti
M. BRITANNIAE REGI ELECTORI BRVNSV. LVNEB.
A CONSILIIS AVLAE ET CONSISTORII
BIBLIOTHECAE REGIO-HANOVERANAE PRAEFECTI
AVGVSTAE DOMVS GVELFICAE HISTORICI

DISQVISITIO ANTIQVARIA DE RELIQVIIS ET PROFANIS ET SACRIS EARVMQVE CVLTV.

ACCEDIT
LIPSANOGRAPHIA
SIVE
THESAVRVS RELIQVIARVM
ELECTORALIS
BRVNSVICO-LVNEBVRGICVS

BIBLIOTECA NAZIONALE DI NAPOLI

EDITIO QVARTA
ANIMADVERSIONIBVS AVCTA
ET TABVLIS AENEIS ILLVSTRATA.

HANOVERAE
APVD JO. WILHELMVM SCHMIDIVM
A. MDCCLXXXIII.

Digitized by Google



PRÆFATIO.

Poſteaquam mihi ante hos ſeptem annos commiſſa fuit cura THESAVRI RELIQVIARVM, reconditi Hanoveræ in penetrali ædis aulicæ: tam noſtrates, quam homines longinqui & alienigenæ, atque inter hos Principes ſummo loco nati, multaque liberali doctrina politi, me identidem adierunt, ut Gazam

BIBLIOTECA NAZIONALE DI NAPOLI

illam

illam referarem conſpiciendamque præberem. Quo facto collocutiones de Reliquiarum vetuſtate, *ac ſubinde de ipſarum* cultu, *non longe arceſſitas, ſed ſua ſponte ſecutas fuiſſe, nemo, opinor, dubitabit; præſertim ad illarum aſpectum, quæ ſuam originem à primo redemti orbis ſæculo ducere dicuntur.*

Quandoquidem vero non omnes, vel eâdem religionis formula conjunctos, in materia tam late longeque diffuſa, unum atque idem ſentire animadvertebam (non ſecus ac tres illi convivæ apud lyricum vatem prope diſſentire videbantur, Poſcentes vario multum diverſa palato): *ego tandem animum induxi, operæ pretium fore, ſi hancce rem, haud paucis quidem difficultatibus impeditam, pariter tamen multum ſuavitatis delectationisque habentem, de induſtria tractarem & contemplarer. Quo etiam conatu (quid ni enim fatear?) hoc adeptus ſum, ut tædium, ex operoſa & permo-*

leſta

leſta confectione Indicis Originum Guelficarum *perceptum, minuerem fálleremve. Animi igitur relaxandi & ingrata obliterandi cauſſa conſtituebam, id, quod Reliquias ſive profanas ſive ſacras apprime contingit, & cum eodem cohæret, ad fontes & principia ſua, ſine ullo partium ſtudio, revocare; deinde ſuo loco (potiſſimum in Capite IV.) experiri, an non fundamentum aliquod natura duce poni poſſet, quo poſito præcipuæ de Reliquiis controverſiæ cum bona utrinque gratia componantur. Rationem inſtituti, operisque partitionem, indicat præfixa rerum ſumma, ſive inſequens* Conſpectus operis; *ideoque non eſt, Candide & Erudite Lector, ut te longiori alloquio in limine detineam, ſi forte vacet ad talia mentem advertere.*

Quod ad LIPSANOGRAPHIAM *attinet, nunc quartum editam, nihil in præſentia ſuccurrit, quod ſeorſum moneam; ſi quidem*

de

Digitized by Google

de illius Auctore, iteratis editionibus, meis animadverſionibus, adjunctisque laminarum æneարum picturis, ſcitu neceſſaria dixi in novo Proœmio illi addito.

Scr. Hanoveræ, menſe Sept. A. C. CIↃ IↃ CC LXXXII.

CON-

Digitized by Google

CONSPECTVS OPERIS.

CAPVT I.

De Reliquiis & profanis & ſacris in genere.

§. I.

Quid optimæ Latinitatis vocabulum *Reliquiæ* generatim comprehendat? Commode dividi poſſunt in *profanas* & *ſacras.* —— Græci *Reliquias* vocant τὰ λείψανα, eoque vocabulo utitur Ulpianus, Latinæ tamen vocis non immemor. —— Plutarchi, Herodiani, Achillis Tatii, & Baſilicorum teſtimonia. —— *Cineres* atque *oſſa cremati cadaveris humani* ſigillatim vocari *Reliquias,* ex Suetonio & litteratis lapidibus oſtenditur. —— Apud A. Victorem, & in veteri Inſcriptione, *Reliqua* pro *Reſiquiis.* —— Mendoſa in Pandectis, etiam Florentinis, lectio *Reliquæ* pro *Reliquiæ.*

§. II.

Varia in Jure Romano ad *Reſiquias* ſpectantia. Ex legibus & vetuſtis Inſcriptionibus probatur, *Reliquias* diſtingui à *cadavere,* ſive *corpore integro.* —— l. 30. §. 2. D. de adim. vel transf. leg. contra Gutherium explicatur. —— Diſcrimen inter *corpus integrum* & *reſiquias* non ſemper ſervatur, ſed alterum ſæpe pro altero uſurpatur.

§. III.

Digitized by Google

§. III.

Qui de ritu, more & legibus priſci funeris apud Romanos, ſcripſerunt Clariſſimi viri, ea, quæ ad *Reliquias* proprie pertinent, curſim duntaxat attingunt, ideoque hic & illic emendandi atque ſupplendi. Nos cum maxime agimus de *Reliquiarum translatione*, cujus antiquiſſimum exemplum Exod. XIII, 19. ſeq. proditur; *vetitæ* autem *translationis* Regum II. (ſive IV. ut Vulgata Biblia habent) cap. 23. verſ. 18. —— Tria Græca exempla (de *Theſei*, *Phocionis*, & *Demetrii* reliquiis) ex Plutarcho ſubjiciuntur, valde digna conſideratione.

CAPVT II.

De Romanorum moribus & inſtitutis circa Reliquias.

§. I.

Vetuſtiſſimam *Reliquiarum translationem* apud Romanos conſignat Plutarchus. Apud hos *temporaria corporum ſepultura* multum differebat à *perpetua*, quæ in jure ſcripto & lapidibus litteratis *æterna ſedes* & *domus æterna* dicitur; etiam in aliquot monumentis Chriſtianorum. —— *Translatio Reliquiarum* vetari poterat. Huc pertinens marmor Veronenſe à Gutherio recte, à Maffeio male, explicatur. Subjiciuntur tres aliæ Inſcriptiones ejusdem argumenti. —— Sicut quidam circa *Reliquias* ſuas anxio & ſolicito animo fuerunt (quod exemplo plane ſingulari illuſtratur, petito ex B. de Montfaucon Antiquitatibus): ita viciſſim alios, vel nulla illarum, vel abſurda & ridicula cura tetigit, cum vellent easdem vel ab heredibus comedi, vel in mare abjici.

§. II.

Gravibus cauſſis *translationem corporum*, aut *reliquiarum* exigentibus, *Romæ Pontificum collegium* adeundum erat. —— Poſt ſuſceptum à *Julio Cæſare* Pontificatum maximum, *Imperatores* de transferendis Reliquiis judicabant vel ipſi, vel per de-

Digitized by Google

devotos ſibi *Pontifices.* —— Sic *Nero*, Pont. M., ut ex marmoribus probatur, de transferendis Lolliæ Paullinæ reliquiis ſtatuit. —— Mutuæ *Plinii* & *Trajani Imp.* de *Reliquiis transferendis* epiſtolæ, docentes illarum cognitionem in *urbe ad Imperatorem*, in *provinciis ad Præſides* ſpectaſſe. —— Pontifices quovis modo Imperatoribus gratificari ſolebant, ad ampliores deinde dignitates evecti. —— Tres lapides, in quibus translatio reliquiarum, *partim permiſſu collegii Pontificum*, partim *Imperatoris indulgentia*, facta dicitur. —— Lapis in quo, neutrius mentione habita, translatio memoratur. —— Lapis plane ſingularis, in quo *corpora permiſſu tribuni plebis* dicuntur *translata;* ſed quod injuſſu Imperatoris non contigiſſe oſtenditur.

§. III.

Adferuntur cæteræ Romanorum leges ad *Reliquiarum translationem* facientes. e. g. *ne corpus Solis radiis oſtendatur*, ſed translatio de *nocte*, & *piaculo facto*, ſuſcipiatur, prævia *Principis* vel *Pontificis* auctoritate: quæ etiam requiritur in tollendis cadaveribus alieno ſolo illatis, nec non in monumentis ſepulcralibus faciendis vel reficiendis. —— *De arca*, ſeu *fiſco Pontificum*, cui inferenda erat pecunia pœnæ nomine ſolvenda à legum ſepulcralium violatoribus. —— Reliquiarum transferendarum cauſſa *Imperatores* adiri ſolebant *libello ſupplice*, cujus exemplum adfertur. —— De *fictilibus ſoliis* in quibus corpora condi ſolebant. —— *Chriſtiani* quoque *Imperatores*, qua *Pontifices maximi*, de corporum vel reliquiarum translatione cognoverunt. —— L. 14. ſive ult. C. de relig. & ſumt. fun. explicatur atque illuſtratur. —— Inter *Chriſtianos* Impp. poſtremus *Pontifex Maximus* fuit *Gratianus;* quod etiam affirmat Baronius, fruſtra renitentibus Gothofredo, Pagio & Spanhemio. —— *Conſtans Imp.* ſepulcrorum reficiendorum curam in provinciis mandat locorum judicibus; in ipſa urbe & Præfecto Prætorio & Pontificibus. *Translationem corporum*, veterem juxta ac recentiorem, apud Chriſtianos erudite expoſuit ipſe Pontifex Maximus & Celeberrimus BENEDICTVS XIV.

Digitized by Google

CAPVT III.

De Sanctis Reliquiis, earumque cultu apud Chriſtianos.

§. I.

Quid *Reliquiarum ſanctarum* nomine apud Chriſtianos intelligatur? Earum triplex diviſio. —— *Martyrum* & *Confeſſorum* diſcrimen; id quod tamen non ſemper ſervatur. —— *Reliquiæ ſanctæ* ſunt vel *naturales*, velut oſſa, dentes, &c., vel *adſcititiæ*, e. g. veſtimenta, &c. His accenſentur *inſtrumenta*, quæ vel mortem vel cruciatus attulerunt. Cur iſthæc omnia vocentur *Sancta?* Teſtimonia S. Scripturæ, *rebus inanimatis* Sanctitatem tribuentia. —— Sanctitas Reliquiarum cum *Brandeis*, ſive velaminibus, communicata. —— Vox *Reliquiæ* proprie ad hominem mortuum pertinet, tamen annis volventibus porrecta fuit (etiam ab *Hugone Grotio*) ad ea quæ adhuc viventis erant: ut *fimbria veſtimenti Servatoris; ſudaria* vel *ſemicinctia Pauli;* immo quoque *Petri umbra*. Hæc ſententia quo modo admitti poſſit? Rectius huc referuntur *oſſa Eliſæi*, quorum attactu homo mortuus in vitam revocatus eſt.

§. II.

Brevis excurſus ad *G. Caſſandrum, H. Grotium,* & *G. G. Leibnitium,* viros eximios & componendarum Religionis controverſiarum ſtudioſiſſimos; ſed ſucceſſu irrito. Breve conſilium de arctiori civitatis Chriſtianæ conjunctione: de qua, ſæculo quod vivimus, ſpem bonam inchoare licet.

§. III.

Quæſtio *de Reliquiarum cultu* inter antiquiſſimas ponenda videtur ob verſ. 9. epiſt. Judæ Apoſt. —— Ratio inſtituti indicatur. —— Pleræque lites de hocce cultu ſæc. VIII. agitatæ in λογομαχίαν deſinunt, propter verba non ſatis explicata: *Adorare, Colere, Honorare* & *Venerari.* Latinorum *Adorare*, & Græcorum προσκυνεῖν quid proprie denotet? —— Variæ Imperatorum Rom. leges *de adoratione & oſculatione purpuræ Principis*, item *Serenitatis.* —— Aliæ ſignificationes τοῦ *Adorare.* ——

Pli-

Plinius *Adorare* & *Venerari* eodem ſenſu ſumit, ſicut etiam nunc Britanni & Gallo-Franci. *Adoratio* in ſenſu emendatiori Chriſtianorum. —— S. Epiphanius *adorationem B. Mariæ virginis* gravibus verbis improbat. —— Concilium Tridentinum Seſſ. 25. ab illo vocabulo quidem abſtinuit, ſed adhibitæ voces: *Honor* & *Veneratio*, omnem errandi cauſam non præcidunt. Scita ipſius Synodi exhibentur.

§. IV.

Subtilis & ſpinoſa diſtinctio inter λατρείαν, δουλείαν & ὑπερδουλείαν parum profuit ad illas difficultates tollendas. —— Natura duce unum duntaxat *Reliquiarum cultus* fundamentum jacitur, quod eſt vehemens, nec morte exſtinctus AMOR erga illum de cujus Reliquiis agitur, cum perſuaſione indubitata, has ipſas Reliquias non eſſe ſuppoſititias, ſed veriſſimas. Hæc ſi abſint, omnis exterior cultus, quocunque modo oſtentetur, vanus & ſimulatus eſt. —— Euſebii teſtimonium de Chriſtianorum Amore in oſſa S. Polycarpi martyris; item præclara Auguſtini monita.

CAPVT IV.

De Amore, cultus Reliquiarum capite & principio.

§. I.

Cur in hoc Capite de AMORE ex profeſſo agatur? Deſcriptio Amoris ſecundum Salomonem. Deſinitio *Amoris*, legibus definiendi conſentiens, æque difficilis eſt, ac definitio *Temporis* Auguſtino viſa fuit. —— *Amor* recte dividitur à Dionyſio Areopagita in *quinque genera*; de quorum tertio nobis ſermo eſt, videlicet *de Amore ſpirituali, ſive intellectuali.* —— Leibnitiana Amoris definitio imperfecta eſt. —— Alia ſuppeditatur, hauſta ex notione vel idea *Pulchri* & *Boni.* utriusque vis & poteſtas (præcipue *Pulchri* ex ſententia Maximi Tyrii) enarratur. Ejus effectus inſignis eſt *Gaudium*; cujus comites & ſociæ indivulſæ ſunt: *Verecundia, Reverentia, Benevolentia,* & *Charitas.* Singularum explicatio ſubjicitur; quarum poſterior ſacris litteris eſt longe commendatiſſima.

** 2 § II.

§. II.

Bonum & Pulchrum oculis ſubductum creat *mærorem,* qui tempore quidem minuitur, non autem *Dolor,* qui γλυκύπικρος reſidet in imis medullis. Cauſæ cur hunc ſibi Cicero, amiſſa Tullia, eripi noluit. Dolendi quædam voluptas. Ex hac *Deſiderium* conjunctionis inſtaurandæ, aliæque piæ commotiones, à Cicerone, Catullo, Plinio, in primisque à S. Ambroſio excellenter deſcriptæ. Ad has excitandas permultum conferunt *loca* ab amicis quondam habitata, (qua occaſione de *Peregrinationibus ſacris* nonnihil ſubjicitur) præcipue vero *Sepulcra* illorum, fruſtra diſſentiente Seneca. —— *Sepulcri communionem* etiam à Sanctis viris concupitam fuiſſe, ſacri Codicis teſtimoniis evincitur. —— Hanc cupiditatem ex animo amovet *Monica,* S. Auguſtini mater, morti proxima, ideo laudata à filio. —— Templa & cœmeteria noſtra abundant exemplis.

§. III.

Ex ſancto illo *Deſiderio* etiam oritur *prolixus ille affectus erga Reliquias,* vim magneticam habentes. Hujuſce modi συμπάθειαν Seneca vocat *admonitionem dilecti corporis,* putatque ejus evitatione *Amorem* exui poſſe. quo demum caſu hoc fieri poſſit? Differunt inter ſe *amare* & *diligere.* Verbum *Amare,* Deo dignum, male detruſum eſt ad res vitioſas appetitus ſenſitivi quæ, ſi curate loqui velimus, non *amantur,* ſed *cupiuntur:* immo in ipſas *Reliquias,* ab optimo amico profectas, non alius cadit *Amor,* niſi ſe referens & convertens ad eum, qui per has in memoriam revocatur & quaſi præſens ſiſtitur. —— Quando illa affectio vel minuitur, vel funditus perit? —— Auguſti pietas in Alexandri Magni, non itidem Ptolemæi, reliquias. —— *Reliquiæ hominum exſecrandorum & deteſtabilium,* ſed materia vel artificio præſtantes, magno in pretio, & dignæ quæ Regum gazis adponantur, deputari poſſunt, ſed ſine ulla *charitate.* —— Quatenus *Amor in Reliquias* progredi debeat, relinquendum eſt hominis ſana mente præditi judicio. Non ſpernenda hanc in rem admonitio B. Auguſtini.

CA-

CAPVT V.

De Omnis generis atque ævi exemplis, Amorem in Reliquias (item in picturas & ſtatuas) Amicorum teſtificantibus.

§. I.

Cujusvis generis & ævi exemplis probatur, *naturalem eſſe Amorem in Reliquias;* nec referre, ex qua materia ſint illæ; etiam in ſpeciem viles quantivis pretii eſſe poſſe: quales e. g. ſunt fragmenta *arcæ Noachicæ*, & *navis Argonautarum; Epicteti lucerna;* item *baculus Cynici Protei.* —— Non coarguendus eſt omnis error mentis: qui minimo urgetur, ſapientiſſimus habeatur. —— *Franciſci Petrarchæ abacus, ſedile,* & *felis ſceleton*, Arquati conſervantur.

§. II.

Non aliter nunc atque olim de Reliquiis ſentiri, evincitur quibusdam *Leibnitii Reliquiis*, in Bibliotheca Regia Hanoverana obviis; notata tamen quorundam vanitate circa easdem. —— De *M. Lutheri cochleari*, ibidem olim aſſervato, ſed XVIII. abhinc annis repetito. —— De aliis *Lutheri Reliquiis* exſtat libellus G. H. Gœtzii, in quo varia occurrunt, quæ enthuſiaſmi & ſuperſtitionis notam effugere non poſſunt. Ciceronis obſervatio *de ſuperſtitione fere univerſa* nondum exolevit.

§. III.

Reditus ad antiquiſſima exempla. *Mycerini*, Regis Ægypti, inſignis cura ſartas tectas ſervandi & honorandi reliquias filiæ ſuæ, ſobolis unicæ. —— *Charites* amor in imaginem mariti vita defuncti. —— *Liviæ* ſimilis amor erga infantem raptum. —— Excitatur *Liber Sapientiæ.* Cap. XIV, 15. —— Multa ſimulacra hominum in deorum & dearum figuram, habitumque, cultus cauſſa, formata. —— De amore erga Reliquias quam pleniſſime teſtatur *ardentiſſimum illud deſiderium conjungendi & miſcendi cineris in uno conditorio vel urna*, idque jam heroicis temporibus declaratum; quod ſelectis teſtimoniis demonſtratur: quorum agmen claudit *Artemiſiæ* amor erga ci-

Digitized by Google

cineres mariti ſummus & ſingularis. Tabula elegans hunc amorem exprimens apud B. de Montfaucon. Scaligeri epigramma in Artemiſiam.

§. IV.

Veterum Chriſtianorum pietas erga ſanctorum hominum reliquias, ſtatuas & imagines. De cathedris *Apoſtolorum*, & reliquiis *S. Polycarpi*, diſcipuli *S. Joannis.* —— De imaginibus CHRISTI ejusque *Legatorum*; in primis de ſtatua CHRISTO poſita à muliere ſanguinis profluvio liberata; item de Apoſtolorum *Petri* ac *Pauli*, nec non CHRISTI imaginibus ſæculo IV. adhuc ſuperſtitibus. Statua illa à *Juliano* Imp. everſa & confracta, à Chriſtianis rurſus collecta atque in Eccleſia repoſita fuit. Dallæi hallucinatio notatur. —— Cur multi Chriſtianorum ſtatuas fugerint? Quomodo id, quod Irenæus & Euſebius *gentilem conſuetudinem* vocant, intelligendum ſit? Fruſtra hic objicitur metus propter idololatriam, etſi quævis res, etiam optima, in malum uſum converti poſſit. —— Picturas vel ſtatuas non in ſe malas eſſe, exemplis divinis adſtruitur. quando pernicioſæ cenſendæ atque abolendæ? —— De imaginibus CHRISTI partim certis, partim incertis. —— *Tiberii* & *Alexandri Severi Impp.* magna opinio de CHRISTO. —— Inter primos Chriſtianos fuerunt etiam homines opulenti, à quibus imaginem CHRISTI in penetralibus & cubiculis pie aſſervatam fuiſſe, admodum credibile eſt. —— *Tertulliani* luculentum teſtimonium *de ſigno crucis*, à primis Chriſtianis ad quævis negotia adhibito. In *Irenæi* teſtimonium hac ſuper re inquiritur. Reliqua hujus argumenti.

§. V.

Græcorum atque Romanorum ritus *Amicorum reliquias floribus ſpargendi*, illorumque capitibus *coronas* imponendi, inviſus erat primis CHRISTIANIS: is tamen deinceps pie & laudabiliter receptus fuit; quia, præter ſancti amoris indicium, ad *cæleſtes coronas* ſpectabat, fortibus CHRISTI athletis in altera vita promiſſas. *Tertullianus*, iſtius ritus oſor, à doctis viris graviter reprehenditur. —— Labentibus annis mos ille inter ἀδιάφορα poſitus eſt, aliis eundem ſervantibus, aliis eundem omittentibus. Noſtra ætate adhuc ille multis in locis viget, dum pueri innuptæque puellæ efferuntur.

CA-

Digitized by Google

CAPVT VI.

De Reliquiarum, in primiſque ſanctarum, αὐθεντία *caute dijudicanda, propter fraudes earundem cauſſa admiſſas.*

§. I.

Cognitio *Reliquiarum ſanctarum*, earumque à falſis & ſpuriis diſtinctio, hodie difficillima eſt, magnaque cautione inſtituenda, ne riſus aliis moveatur: veteratores tamen odio digniores ſunt, quam decepti irriſione. —— Circa *ſanctas Reliquias* nihil temere affirmandum eſt, neque loquaciter negandum. Quod ſi illæ ab initio tales fuerint, quales dicuntur: nihil vetat, quo minus credamus, easdem ad noſtra tempora durare potuiſſe, & tam acri cura atque diligentia cuſtoditas fuiſſe, quam hocce modo multa veteris Græciæ aliarumque gentium monimenta, numi, gemmæ, membranæ &c. ſuperant. Accedit quod multæ res, fragilis admodum & caducæ materiæ, (etiam incuſtoditæ omnibusque temporis & caſus injuriis expoſitæ) nunc demum, poſt XVII. & quod excurrit ſæcula, ex *Herculani* urbis parietinis in lucem protractæ, atque ſatis cognoſcendæ exhibentur.


§. II.

Sicut ab antiquiſſimo tempore apud Romanos fuerunt *Falſarii*, qui inſtrumenta, tabulas, ſigna, nummos, &c. dolo malo ſupponebant; media autem atque ſubſequens ætas falſorum Diplomatum ſabricatoribus infamis erat (unde *Bella* illa quæ vocantur *diplomatica*): ita circa *Reliquias Sanctorum* innumeras fraudes & fallacias fuiſſe admiſſas, vetus & juſtiſſima querela eſt, eaque agnita & deplorata à *Ferrando, Muratorio* & aliis. *Concilii Tridentini* hac ſuper re Decretum.

§. III.

Pro *Reliquiarum ſanctarum* fide adſtruenda & probanda regulas quasdam excogitavit *Ferrandus*, ad quas æſtimanda ſit illa & ponderanda: eæque in ἐπιτομῇ redactæ hic

hic proponuntur. Dubitare tamen licet, an ipſe *Ferrandus* haſce regulas habuerit certas atque exploratas: e. g. quæ *de præputio Chriſti,* in tot locis obvio & tamen ſincero, commentatus eſt; quod Pont. M. Benedictus XIV. tandem uni loco aſſignavit. —— *Epilogus.*



DIS-

Digitized by Google

DISQVISITIO ANTIQVARIA
DE
RELIQVIIS
ET PROFANIS ET SACRIS
EARVMQVE CVLTV.

CAPVT I.
De Reliquiis & profanis & ſacris in genere.

§. I.
Argumentum.

Quid optimæ Latinitatis vocabulum *Reliquiæ* generatim comprehendat? Commode dividi poſſunt in *profanas* & *ſacras.* —— Græci *Reliquias* vocant τὰ λείψανα, eoque vocabulo utitur Ulpianus, latinæ tamen vocis non immemor. —— Plutarchi, Herodiani, Achillis Tatii & Baſilicorum teſtimonia. —— *Cineres* atque *oſſa cremati cadaveris humani* ſigillatim vocari *Reliquias*, ex Suetonio & litteratis lapidibus oſtenditur. —— Apud A. Victorem, & in veteri Inſcriptione, *Reliqua* pro *Reliquiis.* —— Mendoſa in Pandectis, etiam Florentinis, lectio *Reliquæ* pro *Reliquiæ.*

Vocabulum *Reliquiæ*, elegantiori Latio haud incognitum, in univerſum denotat id quod de homine, animali, vel de alia quacunque re ſuperat, vel relictum eſt: quo ſenſu hanc vocem à Plauto, Terentio, Cicerone, aliisque probatis ſcriptoribus adhiberi, notum ſatis eſt atque teſtatum. *Reliquias* vero generatim & commode dividi poſſe in *profanas*

& *ſacras*, in promtu ponent exempla quam plurima, mox & infra à nobis adducenda.

Eodem ſenſu Græci *Reliquias* appellant τὰ λείψανα; eaque voce, ſed citra neceſſitatem, utitur Ulpianus pro *animalis reliquiis* in l. 53. §. 5. D. de leg. & fideic. 1. namque ipſe, ut paullo infra oſtendemus, Latinum vocabulum plus ſemel uſurpat; & in f. l. 8. D. de his qui ſui vel alieni juris ſunt, furioſis ſcite tribuit *voluntatis reliquias*. Veruntamen τὰ λείψανα etiam dici de *hominis reliquiis*, permulta veterum ſcriptorum teſtimonia evincunt. Plutarchum ideo audiemus §. 3. & 4. Pariter Herodianus Hiſtoriarum libro III. in f. Severi Imp. *cineres*, ex Britannia Romam delatos, λείψανα vocat. Idem libro ſeq. cap. 1. & 2. refert, urnam, in qua Severi *reliquiæ* erant, à Conſulibus geſtatam, eamque à Senatu & Populo adoratam fuiſſe: κάλπην φέροντες, ἔνθα ἦν τὰ Σεβήρȣ λείψανα - τὴν κάλπην προσεκύνουν. Ornata autem & perpolita oratione Achilles Tatius Eroticôn libro V. cap. 7. (p. 422. edit. Lipſienſis A. 1776.) hocce vocabulum ad Leucippen puellam applicat, cujus amator Clitophon (dum eam interfectam, eique caput à piratis avulſum & in mare projectum putat) ſuppoſitum corporis alieni truncum, ſed veſtibus deſideratiſſimæ amicæ indutum, ita alloquitur: τὸ μὲν γὰρ λείψανον ἔχω σȣ τȣ͂ σώματος, ἀπολώλεκα δέ σε. κ. τ. λ. i. e. *ego quidem habeo corporis tui reliquias; te tamen amiſi*, &c. Occurrunt hæc in editione Leidenſi, A. 1640. in 12. ſegmentis deſtituta, p. 293.

Baſilicorum auctores etiam hoc vocabulo *Reliquias*, *cadavera*, vel *corpora hominum* exprimere ſolent. Sic, quæ in l. 26. C. de Epiſcopis & Clericis Imp. Leo circa *Reliquias Sanctorum martyrum* Juliano PP. ſcribit, in Baſilicis Tomo I. ſive libro 1. tit. 1. cap. 10. dicuntur μαρτύρων λείψανα. — Lex 3. C. de SS. Eccleſ: *Nemo Martyres diſtrahat, nemo mercetur*, in Baſilicis eod. Tomo, libro 5. tit. 1. cap. 3. ita proponitur: μηδεὶς λείψανα ἁγίων πιπρασκέτω, ἢ ἀγοραζέτω. — Pandectarum titulus *de cadaveribus punitorum*, in Baſilicis Tomo VII. libro 60. tit. 69. inſcribitur: περὶ λειψάνων

τῶν

Digitized by Google

τῶν τιμωρηθέντων. — Quæ Paulus in l. 3. d. t. *de corporibus animadverſorum* adſtruit, in Baſilicis d. l. τὰ λείψανα appellantur. Alia huc referenda collegit Carolus Dufreſne in Gloſſario ad ſcriptores mediæ & infimæ Græcitatis, voc. λείψανον.

Cineres vero atque *oſſa cremati cadaveris humani* ſigillatim vocari *Reliquias*, ex ſcriptoribus Romanis perſpicuum eſt conſtatque. Inter ceteros vide ſis Suetonium in Aug. cap. 100., in Tib. cap. 54. in f., in Calig. cap. 3., in Nerone cap. 50., in Domit. cap. 8. in f. item cap. 17. in f. Addatur Ælius Spartianus in Adriano Cæſare, cap. 5. in f. (Hiſtoriæ Auguſtæ ſcriptorum T. 1. p. 51.)

Id ipſum quoque litterati lapides memoriæ produnt. Romanus lapis, vel urna, apud Gruterum in Corpore Inſcriptionum, pag. 602. N. 7. (item apud Ferretium in Muſis lapidariis, p. 295. ſed mendoſe)

TROPHIMI. AVG. LIB
RELIQVIAE. PVERI. QVONDAM.
PHRYGII. PASTORIS

item Romanus lapis apud eundem pag. 609. N. 9. (Ferretium l. c.)

RELIQVIAE
CINNAMI. TI
CAESARIS. AVG.
FAVSTIANI

In lapide Nicienſi (quem totum exhibet Sponius in Miſcellaneis cruditæ antiquitatis, Sect. II. pag. 62.) Lais mater legat collegio centonariorum H S. XII. ut ex horum reditu quotannis die natali filii qua

RELIQVIAE EIVS CONDITAE SVNT
SACRIFICIVM FACERENT. &c.

In lapide Florentino apud Gorium, Inſcript. antiqq. P. I. p. 43. N. 73. M. Volcius rogat:

Digitized by Google

VT. CVM. VOLCIA CHRES . . :
CONIVGE SVA IN VNA OLLA CORPORIS
RELIQVIAE ESSENT. &c.

Simile deſiderium expromitur in lapide Romano apud Donium Inſcript. antiqq. pag. 399. N. 30.

D. M
STATIAE TRYPHOSE
C. STATIVS. AMANDVS
CONIVGI. KARISSIMAE
CON QVA VIXIT ANN LVI
FECIT ET SIBI CON QVA
RELIQVIAS MEAS QVAN
DOQ. REPONI VOLO

Sed Aurelius Victor de Cæſaribus, cap. 21. in f. τῷ *Reliqua* uti maluit, dum de Antonino Caracalla (cujus corpus, teſte Herodiano Hiſt. IV. cap. 26. edit. Oxon. p. 169. Macrinus cremari juſſerat) ſcribit: *Corporis* RELIQVA *luctu publico relata Romam, atque inter Antoninos funerata ſunt.* Hiſce reſpondet (niſi forſan exſcriptor alterum *i* neglexerit) inſcriptio apud Malvaſiam in Marmoribus Felſineis, pag. 346.

D. M
RELIQVIS
ANNI. PACCI
ARISTANETI

Quod vero in l. 42. D. de religioſis & ſumtibus funerum, quæ eſt *Florentini;* in l. 44. D. eod. tit. §. 1. quæ eſt *Pauli;* item in l. 5. D. de mortuo inf., quæ eſt *Ulpiani*, pro τῷ *Reliquiæ* ſcribitur *Reliquæ:* mendoſam lectionem arbitror, quamvis eandem tueatur Taurelliana Pandectarum editio, quia nuſquam præterea, quod meminerim, occurrit, aliæque leges ab iiſdem Jureconſultis profectæ, ſuo loco adducendæ, ſemper vocabulum

Digitized by Google

bulum *Reliquiæ* adhibent, quo etiam utuntur Juriſconſulti vel æquales vel ſuppares: *Scævola* in l. 38. §. 4. D. de leg. & fideic. 3. & *Modeſtinus* in l. 30. D. famil. ercisc. idemque in l. 27. D. de condit. Inſt.

§. II.

Argumentum.

Varia in Jure Romano ad *Reliquias* ſpectantia. Ex legibus & vetuſtis Inſcriptionibus probatur, *Reliquias* diſtingui à *cadavere*, ſive *corpore integro*. —— L. 30. §. 3. D. de adim. vel transf. leg. contra Gutherium explicatur. —— Diſcrimen inter *corpus integrum* & *reliquias* non ſemper ſervatur, ſed alterum ſæpe pro altero uſurpatur.

Satis in veſtibulo diximus de vocabulo *Reliquiæ*; rem ipſam in ſequentibus plenius propiusque cognoſcemus. Quum vero aliquot Pandectarum loca jam attigimus, in quibus de *Reliquiis* nonnihil diſputatur: operæ omnino pretium fuerit videre, quid harum cauſſa in Jure Romano conſtitutum ſit atque ſancitum. Primum igitur tenendum eſt, *Reliquias hominis*, i. e. cineres & oſſa, plerumque diſtinctas fuiſſe à *cadavere*, ſive *corpore integro*, licet hoc poſt abitum animæ *Reliquiarum* nomine appellari poſſit, ſicut cenſuiſſe videtur Juſtinus Imp., in l. 6. C. de ſepulc. viol. jubens gravi pœna, ne debiti prætextu ſepultura hominis impediatur; id quod in pr. legis *injuſtum* dicitur & *injuria facta reliquiis defunctorum*. Plura ad h. l. congeſſit Gutherius de Jure Manium libro 3. cap. 22. Interea illud diſcrimen ſervatur à Prætore in l. 2. §. 2. & 5. D. de relig. & ſumt. fun., (ut recte obſervat Gerardus Noodt in Commentario ad h. l. Operum T. II. p. 263. col. 2.) item ab Ulpiano in pr. l. 8. eod., in l. 38. eod., nec non à Florentino in jam memorata l. 42. D. eod., cujus verba hæc ſunt: „*Monumentum* generaliter res eſt memoriæ cauſa in poſterum „prodita: in qua ſi CORPVS vel RELIQVÆ (reliquiæ) inferantur, fiet „*ſepulcrum*; ſi vero nihil eorum inferatur, erit *monumentum* memoriæ cauſa „factum, quod Græci κενοτάφιον, id eſt, *inane ſepulcrum* appellant." Addatur l. 4. in f. C. de ſepulc. viol.

Digitized by Google

Vetuſti lapides idem diſcrimen ſervant. Sic *Reliquiarum corporis* mentio fit in lapidibus quos jam produximus, quibus adponendus eſt vetus ille apud Gruterum, pag. 471. N. 7. (apud Ferretium in Muſis lapidariis, pag. 295.)

D. M
RELIQVIÆ
CORPORIS. M
TARQVINI. CRISPI
FRONTONIS. C. L
TRIVMVIRI. CAP.

item lapis Veronenſis apud eundem pag. 925. N. 21., nec non apud Scipionem Maffeium in Muſeo Veronenſi, pag. 146. N. 2. *)

VETO. RELIQVIAS
P. VERONIVS
CALLISTVS
HOMO. OPTIM
HIC. IACET

Sed ad hunc lapidem, in quo Maffeius offendit, paullo infra redeundum eſt.

Corpus vero *integrum* memoratur in l. 30. §. 2. D. de adim. vel transf. legatis, ubi neſcio quis, teſte Scævola, ab heredibus petit per codicillos ſequentia: *Peto à vobis, ut ſive in Provincia, ſive in via aliquid mihi humanitus acciderit,* CORPVS MEVM *curetis & in Campaniam, & in monumentum filiorum meorum reportare.* Non audiendus hic eſt Jacobus Gutherius, qui de Jure Manium libro 3. cap. 23. iſthæc verba tribuit Sejæ libertæ, atque ex iisdem concludit, ibi non de *corpore integro* (quod tamen

*) Apud Gudium in antiquis Inſcript. pag. 337. N. 1. hic lapis etiam reperitur, ſed mendoſo hoc & monſtroſo principio: VITO. RINOVIAS. PVPRONIS. Cetera recte atque integre ſcripta.

Digitized by Google

tamen paullo ante recte affirmaverat) ſed de *reliquiis* duntaxat agi: quaſi incredibile ſit, illo tempore, cum mos cremandi corpora vigeret, libertæ corpus Ægyptiorum more conditum fuiſſe. Enimvero Gutherius invita Themide illa verba affingit Sejæ libertæ, cum ad quemvis alium pertinere videantur: immo etiam ſi demus, hic loqui Sejam, male tamen conjicitur, corpus ejus conſueto more haud condiri potuiſſe, quum multi, quod nemo neſcit, inter libertos & libertas tantis divitiis abundaverint, ut hocce modo in Libitinæ rationem quam facillime venire poſſent; ne dicam, illos patronis ſuis, ad inopiam redactis, vel ſua ſponte opem ſæpe tuliſſe, vel ad hoc vi legum coactos fuiſſe. Vid. l. 5. §. 18. ſeqq. D. de agnoſc. & alend. lib. Tit. Inſt. de ſucceſſ. libert., Ulpian. Fragm. tit. 27. & 29. apud Schulting in Jurisprud. Antejuſt. Proinde manifeſtum eſſe reor, in l. noſtra non agi de *reliquiis*, ſed de *corpore integro;* quale etiam memoratur in Romana Inſcriptione apud Gruterum, pag. 689. N. 8. quamque ipſe Gutherius legendam dedit:

L. IVLIVS. GAMVS
DIS. MANIBVS
L. IVLI. MARCELLI
NEPOTIS. SVI.
VIXIT. ANN. V
DIEBVS. XXXXI
CORPVS. INTEGRVM
CONDITVM
SARCOPHAGO

Non ſolum vero ab Ethnicis inter *Corpora* & *Reliquias* factum eſt diſcrimen, ſed etiam à Chriſtianis: namque Sanctorum hominum *Reliquias carnales* ab ipſorum *corporibus* ſecrevit Gregorius I. Papa, cognomento Magnus, Dialogorum libro II. cap. 38. (Operum T. 1. p. 1323.) cujus verba in medium adfert Joannes Ferrandus in Diſquiſitione Reliquiaria, libro II. p. 448. ſeq. ubi tamen ſimul monet, tam veteribus Imperatorum legi-

legibus, ac SS. Patrum ſcriptis, quam vulgari & tralatitia' Eccleſiæ loquendi conſuetudine, *Corpus* nonnunquam pro *Reliquiis* ſumi, immo & ſic accipiendum eſſe. Viciſſim *Reliquias* alicubi collocatas ſolere dici *Corpora Sanctorum*, oſtendit Baronius Annal. eccleſiaſt. Tomo IX. ad Ann. 841. pag. 1042. in f. ſeq. Idem perſpicuum & evidens eſt ex Concilii Tridentini Seſſione XXV. cujus verba Cap. III. §. III. adducimus.

§. III.

Argumentum.

Qui de ritu, more & legibus priſci funeris apud Romanos, ſcripſerunt Clariſſimi viri, ea, quæ ad *Reliquias* proprie pertinent, curſim duntaxat attingunt; ideoque hic & illic emendandi atque ſupplendi. Nos cum maxime agimus de *Reliquiarum translatione*, cujus antiquiſſimum exemplum Exod. XIII, 19. ſeq. proditur; *vetitæ* autem *translationis* Regum II. (ſive IV. ut Vulgata Biblia habent) cap. 23. verſ. 18. —— Tria Græca exempla (de THESEI, PHOCIONIS & DEMETRII reliquiis) ex Plutarcho ſubjiciuntur, valde digna conſideratione.

Non eſt, ut poſt doctos & clariſſimos viros: Gyraldum de ſepulcris, Kirchmannum de funeribus Romanorum, Gutherium de Jure Manium, Moreſtellum de pompa ferali, Quenſtedium de ſepultura veterum, Meurſium de funere, Laurentium de funeribus antiquorum, & Bernardum de Montfaucon Antiqq. explic. T. V. P. 1. poſt hoſce, inquam, viros fama commendatiſſimos, ritum, morem & leges priſci funeris denuo deſcribamus, actumque agamus. Quoniam vero viri illi, longo operi intenti, id quod ad *Reliquias hominum vita defunctorum* proprie pertinet, curſim tantum tractarunt, & multa ſcitu digna prætermiſerunt; quæ demum, ut ſexcenta alia, poſterior ætas in apricum protulit: eo magis operæ pretium duximus, hancce materiam explicare, & ſeorſum excutere, quod non in ſpicilegium, ſed in plenam meſſem veniſſe nobis videmur. *Multum* (appoſite Seneca in Epiſt. 64.) *egerunt qui ante nos fuerunt, ſed non peregerunt; ſuſpiciendi tamen ſunt, & ritu deorum colendi.* Hic vero & in ſequentibus potiſſimum agere ſtatuimus de *Reliquiarum*

trans-

Digitized by Google

translatione, quæ adeo antiqua eſt, ut ante exſtent ejus exempla, quam Romanorum nomen innotuit. Nam Joſephi oſſa (quod ipſe jam moriturus præceperat, Geneſ. 50, 25.) Moſes Ægyptum linquens ſecum in promiſſam terram deduxit, idque probante viamque monſtrante Deo. Exod. XIII, 19. ſeqq. Conf. Joſua XXIV, 32. Aliud exemplum proditur II. Sam. (in *Vulgatis Bibliis* Regum II.) cap. 21. verſ. 12 - 14. *Vetitæ* autem *oſſium translationis* exemplum habemus Regum II. (*Vulg.* IV.) cap. 23. verſ. 18.

De Græcorum moribus; in *Reliquiarum translatione* ſervatis, hic multa in medium adferre poſſemus, ſed contenti erimus aliquot Plutarchi teſtimoniis ex ejus Vitis parallelis. Inter hæc eminet narratio de THESEI, Regis Athenarum filii, *Reliquiis*, poſt CCCC. annos ex Scyro inſula à Cimone Athenas reductis, atque ab Athenienſibus magna pompa & veneratione receptis. Verba Chæronenſis, in vita Theſei in f. (Operum à Jo. Jac. Reiſkio nuper editorum T. 1. p. 73. ſeq) ſunt, Hermanno Cruſerio interprete, quæ ſequuntur: „Poſt bellum Medicum, Phædone „archonte; conſulentibus Apollinem Athenienſibus, reſpondit Pythia, „ut *oſſa Theſei colligerent, & collocata apud ſe ſervarent honorifice.* Erat „vero & auferre illa & noſſe conditorium, res difficilis, propter inhoſpitalitatem & feritatem incolentium barbarorum. Nihilominus tamen „Cimon, cum ei capta hac inſula, ut in vita ejus recenſuimus, *) cupido „in-

*) In Cimonis vita (edit. Reiſk. Vol. 3. p. 189.) nominatur *Scyrus* inſula, quam *Dolopes* tenebant. Verba huc facientia ponimus: *Laboravit* (Cimon) *ſepulcrum ejus* (Theſei) *veſtigare; ſiquidem oraculum erat Athenis, quod reliquias Theſei* (τὰ Θησέως λείψανα) *in urbem referri, eumque pro heroe præcipiebat eximie coli. Cæterum ubi conditus eſſet, ignorabant, quod Scyrii fateri nollent, neque concederent inveſtigari. Tunc vero ingenti ſtudio tandem invenit Cimon conditorium, impoſuitque navi prætoriæ. oſſa, eaque, omni magnificentia decorata, in patriam annis prope quadringentis poſt reduxit: quamobrem ſummam gratiam apud populum comparavit.*

„inceſſiſſet eruendi oſſa illius, & aquila locum clivoſum ore (uti fama eſt) „tundente, & fodiente unguibus, divina quadam ſorte rem animo penſi- „taret, aperuit locum. Reperti ſunt magni corporis loculi, adjacensque „haſta ænea cum enſe. Hæc à Cimone in triremi ſua deportata, ovan- „tes Athenienſes, eximia celebritate & ſacrificiis, ſicut ipſum reducem „ad urbem exceperunt; ac media conditus eſt urbe prope gymnaſium, „quod nunc eſt. Eſt id perfugium inviolabile ſervis & omnibus demiſ- „ſioribus, timentibusque potentiores: quippe quod tutelaris Theſeus at- „que auxiliaris fuiſſet, & benigne abjectorum accepiſſet preces. Sacrum „maximum ei exhibent octavo die menſis Pyanepſionis, quo ex Creta re- „diit cum impuberibus. Attamen & aliorum menſium octavo quoque „die colunt eum.„

De PHOCIONE Athenienſi, viro bono, injuſte neci dato, ſed cujus meritis deinde ſtatua poſita eſt, & reliquiæ amplo funere elatæ ſunt, Plutarchus in vita ejus, circa finem (edit. Reiſke, vol. 4. p. 358. ſeq.) perhibet, „ejus inimicis viſum fuiſſe, ut etiam corpus extra fines projice- „retur, ac ne quis Athenienſis rogum funeri incenderet. Quamobrem „nemo amicorum corpus fuit auſus attingere. Conopion quidam, tali „aſſuetus miniſterio operam locare, exportatum ultra Eleuſina cadaver „igni ex æde mulieris Megaricæ ſumto combuſſit. Ibi mulier Megarica „cum ancillis aſſiſtens tumulum honorarium aggeſſit, atque inferias dedit „Phocioni: oſſa in ſinu collegit, eaque nocte domum deportata defodit „apud focum cum his verbis: *Apud vos, optimi penates, has boni viri reli-* „*quias* (ταῦτα ἀνδρὸς ἀγαθοῦ λείψανα) *depono. Eas vos, quum Athenienſes ad* „*mentem redierint, patrio reddite ſepulcro.* Et ſane brevi intervallo rebus „docti Athenienſes, qualem moderationis & juſtitiæ præſidem cuſtodem- „que amiſiſſent, ſtatuam ei ex ære poſuere, & oſſa publice extulere.„

Inſignem pompam, qua Antigonus DEMETRII patris *reliquias* ex Syria in Græciam *transferri* curavit, Plutarchus in vita Demetrii circa fin. (Reiſke vol. 5. p. 99. ſeq.) litteris ita conſignavit: „Habuit funus

„De-

Digitized by Google

„Demetrii tragicam theatralemque ſpeciem. Nam filius ejus Antigonus, „ubi *reliquias patris* cognovit afferri, totam claſſem ſolvit, eisque apud „inſulas occurrit obviam. Ut eas accepit, impoſuit urnam, quæ ex ſo-„lido auro erat, in navem prætoriam. Civitates, ad quas appulerunt, „hinc coronas ingeſſerunt urnæ, hinc viros cultu lugubri miſerunt ad „exequias decorandas & proſequendas. Decurrente Corinthum claſſe, „urna ex puppi conſpicua viſa, regali purpura & diademate exornata, „quam circumſtitit in armis juvenum ſtatio. Celeberrimus illius ætatis „tibicen Xenophantus aſſidens ſacratiſſimum carmen accinuit: cui conci-„nente remigio, clangor cum modulatione quadam velut in planctu re-„ſpondit cantilenæ ad tibias ambitibus. Maximam commiſerationem & „luctum ipſe Antigonus ſtantibus in portu & littore frequentibus movit „ſordidatus lacrymisque confectus. Honoribus & coronis funeri Corin-„thi delatis, deportavit *reliquias* Demetriadem, urbem illi cognominem „ex parvis ad Iolcum oppidulis frequentatam.„

Hæc Plutarchi teſtimonia qui contulerit cum nonnullis *Reliquiarum translationibus,* in Eccleſiæ Romano-Catholicæ hiſtoria hic illic enarratis, non poterit non magnam cum illis ſimilitudinem animadvertere. Veruntamen vix eſt, ut eruditum juxta ac candidum lectorem moneamus, ea quæ inter ſe quodammodo ſimilia & paria videntur, non illico habenda eſſe pro uno atque eodem, cum ob diſparem cauſſam atque rem ſæpe permultum à ſe invicem differant, & idcirco ſimile diſſimile exhibeant.

CAPVT II.

De Romanorum moribus & inſtitutis circa Reliquias.

§. I.

Argumentum.

Vetuſtiſſimam *Reliquiarum translationem* apud Romanos conſignat Plutarchus. Apud hos *temporaria corporum ſepultura* multum differebat à *perpetua,* quæ in jure ſcripto & lapidibus litteratis *æterna ſedes* & *domus æterna* dicitur, etiam in

 ali-

Digitized by Google

aliquot monumentis Chriſtianorum. —— *Tranſlatio Reliquiarum* vetari poterat. Huc pertinens marmor Veronenſe à Gutherio recte, à Maffeio male, explicatur. Subjiciuntur tres aliæ Inſcriptiones ejusdem argumenti. —— Sicut quidam circa *Reliquias* ſuas anxio & ſolicito animo fuerunt (quod exemplo plane ſingulari illuſtratur, petito ex B. de Montfaucon Antiquitatibus): ita viciſſim alios vel nulla illarum, vel abſurda & ridicula cura tetigit, cum vellent easdem vel ab heredibus comedi, vel in mare abjici.

Videamus nunc ex deſtinato, quid de *Reliquiis*, in primisque de *earum tranſlatione*, apud Romuli nepotes lex & conſuetudo præceperint. Vetuſtius autem translatarum reliquiarum exemplum non reperitur, quam quod ſuppeditat Plutarchus in Romulo, (edit. Reiſk. T. 1. cap. 18. p. 115.) ubi refert, à Tarpeja, Sp. Tarpeii filia, in colle Tarpejo ſepulta, hunc collem ita vocatum fuiſſe, donec eum locum Tarquinius rex Jovi conſecravit: *quo tempore oſſa ejus alio fuerunt delata, nomenque exolevit Tarpeiæ;* vel, uti in Græco eſt: ἅμα τε τὰ λείψανα μετηνέχθη, καὶ τοὔνομα τῆς Ταρπείας ἐξέλιπε. Quo autem ritu hæc translatio facta ſit, nec à Plutarcho, nec ab aliis, quod ſciam, rerum Romanarum ſcriptoribus enarratur. Quamobrem nunc ea ſubjicere juvat, quæ ex ſequentium temporum commentariis diſcere licuit.

Corpora *non perpetuæ ſepulturæ* tradita, ſed temporis gratia tantum depoſita vel commendata, ſine magna difficultate transferri poterant, locusque manebat profanus. l. 40. D. de relig. & ſumt. fun. l. 10. C. eod. & l. 3. §. 4. D. de ſepulcro violato; cujus verba propterea ponemus, quod duorum Impp. conſtitutiones continent: „*Non perpetuæ ſepulturæ* tradita „corpora poſſe transferri, Edicto D. SEVERI continetur; quo manda„tur, *Ne corpora detinerentur, aut vexarentur, aut prohiberentur per ter„ritoria oppidorum transferri.* D. autem MARCVS reſcripſit, *Nullam „pœnam meruiſſe eos qui corpus in itinere defuncti per vicos aut oppidum „transvexerunt: quamvis talia fieri ſine permiſſu eorum, quibus permittendi „jus eſt, non debeant.*„ Hæc Baſilicon Tomo VII. ſive libro LX. tit. 23. §. 4. pag. 506. interprete Cujacio, ſequentibus proponuntur: Non oportet

Digitized by Google

tet cadavera defunctorum contrectare aut vexare. quæ autem ſunt ad tempus depoſita, transferre licet. Non oportet etiam prohibere ea per territoria civitatum transferri. & non puniuntur qui cadavera defunctorum in itinere per vicos aut civitates transferunt. hoc vero juſſu Præſidis fit.

In longe majorem difficultatem res incurrebat, ut §. ſeq. declarabimus, ſi *perpetuæ ſepulturæ* (quæ vocatur *æterna ſedes* in jam d. l. 40. de relig.) dicata & ſacrata fuiſſent corpora, l. 39. D. eod. Quocirca in marmoribus Romanis, apud Gruterum ceterosque qui talia collegerunt, frequentiſſima eſt formula: *perpetuæ*, vel *æternæ ſecuritati*; *ſomno æterno*; *quieti æternæ*; *domus æterna* *), aliæque hujus argumenti, de quibus nonnihil dixit Radulphus Fornerius Rerum quotidianarum libro III. cap. 6. in Everardi Ottonis Theſauro Juris Romani, Tomo II. p. 200. ſeq. Idem obtinebat, ſi quis Reliquiarum ſuarum translationem diſertis verbis prohibuiſſet, quemadmodum à P. Veronio Calliſto factum, inſcriptio, ex Grutero & Maffeio p. 6. adducta, oſtendit, ſicut recte animadvertit Gutherius de Jure Manium libro III, 23. Quæ his oppoſuit Maffeius, partim obſcura ſunt, partim à vero aliena. En ejus animadverſionem ad illum lapidem: *Quid in animo habuit Veronius noſter, cum reliquias vetuit? Gutherius vetuiſſe putat earum translationem: at ego collectionem potius inhibuiſſe judico; non enim reliquias vetat, qui tantummodo transferri vetat. Ut reliquiæ igni iterum traderentur, ita ut abſumerentur prorſus, vel ſaltem ut minime reponerentur in tumulo, ne aliquando, ut eveniebat, diſſiparentur, peculiari ſibi religione Veronius juſſit.*

Quod ille Veronius verbis jubentibus ſignificavit, id ipſum in lapide Ravennatenſi apud Gruterum, pag. 754. N. 16. verbis precantibus exprimitur:

D.

*) Etiam in monumentis Chriſtianorum, quod mireris, *ſepulcrum* vocatur *domus æterna*, apud Reineſium Synt. Inſcr. claſſe XX. N. 183. 204. 212. 363. ſed τὸ *æternus* hic forte denotat tempus longum & indefinitum, non vero infinitum.

Digitized by Google

D . M
ANNIA. CRESTINA. ET
C. SEXTILIVS. MARIVS
V. SIBI. P
PETIMVS. NE. QVIS. NOS
INQVIETET. EX. ARCA. NOSTRA
NEQVE. AB. ANTE.. ALIAM. PONAT. NEC
COMMVTET

Ita quoque oſſium ſuorum translationem noluit & deprecatus eſt ille in fine lapidis apud Muratorium, Inſcript. Tomo II. pag. 932. N. 2.

ROGO. PER. DEOS. STYGIOS OSS. NOSTR
QVISQVIS. ES. HOMO. NON. VIOLES. NON. TRAS. H. L

id eſt, non *trahas*, vel *transferas hoc loco.*

Veteres quoque tale quid in ultimis tabulis flagitaſſe, Scævola prodit in l. 38. §. 4. D. de leg. & fideic. 3. ubi Julius Agrippa primipilaris teſtamento ſuo caviſſe dicitur: *Ne ullo modo* RELIQVIAS *ejuſ & prædium ſuburbanum, aut domum majorem heres ejus pigneraret, aut ullo modo alienaret.* At vero Scævola hoc vocat *nudum præceptum;* ideoque reſpondit, à nepte primipilaris extraneos juſte inſtitui potuiſſe horum prædiorum heredes. Veruntamen nullus dubito, quin apud hos *Reliquiis* ſuus honor conſtiterit *).

Gravioribus verbis ſui corporis attactum, translationemque vetuit Tzittani Comitis uxor, anno Chriſti DLXVIII. condita; nam Inſcriptio ejus memoriæ ſacra, Albingauni, (*Albenga*) apud Peloſios obvia, editaque à Muratorio Inſcript. T. I. p. 429. N. 2. ſequentia in fine habet:

RO-

*) Quæ ad h. l. Gutherius de Jure Man. libro. III. cap. 22. circa f. ex Aegyptiorum moribus refert, opinans illum Agrippam Aegyptium fuiſſe, nimis longe petita atque incerta arbitror.

Digitized by Google

ROGO TE PER DM. OMNPM. ET IHM. X. . . NAZARENVM NE ME TANGAS NEC SEPVL-CRVM MEVM VIOLIS (violes) NAM ANTE TRIBVNAL AETERNI IVDICIS MECVM CAV-SAM DICIS. (dices)

Etenim veteres (ſicut bene obſervat clariſſimus congregationis S. Mauri ſocius, Bernardus de Montfaucon, in Supplemento ad Opus de Antiquitate expl. Tomo V. p. 54.) ſummum damnum infortuniumque eſſe arbitrabantur, ſi oſſa cineresve loco moverentur: ex hac *tranſlatione* quid defunctis importari damni arbitrati. Hinc cautiones illæ, quas pro tumulorum ſepulcrorumque ſecuritate ſuſcipiunt & obſervant: hinc maledicta in eos qui loco moverint, aut quovis modo violaverint, aut profanaverint: hinc mulctæ in ipſis ſepulcris indictæ iis qui tale quidpiam tentaverint. Decimo ſexto ſæculo (ita pergit vir laudatiſſimus) detecta fuit *) urna ex alabaſtrite, tanta arte & cautione occultata, ut hinc facile percipiatur, quantum illi veteres ejusmodi profanationes metuerent. Femina quædam ex primariis, ut videtur, urnam ſuam ex alabaſtrite reponi curavit in muro firmiſſimo inter duos ingentes lapides, ſed excavatos ita ut urnæ pars in alio lateret, pars autem in altero, nec quidpiam extrinſecus compareret, & niſi illi lapides ſeparentur, nemo poterat divinare urnam intra duos repoſitam fuiſſe. Et tamen, nihil obſtante tanta cautione, illa detecta fuit XVI. ſæculo; vix enim receſſum reperias, quo curioſitas aviditasque humana penetrare non valeant.

Quemadmodum vero iſthæc omnia produnt anxiam quandam curam ſartas tectas conſervandi corporis reliquias: ita è contrario de veteribus fuiſſe conſtat, qui jacturam ſepulcri facillimam judicantes nihil curarunt,

*) In vicinia Romæ extra portam S. Laurentii. Vid. Antiq. expl. T. V. p. 75. ſeq. ubi hæc probantur ex Flaminii Vaccæ ſchedis, jam in Diario Italico p. 119. ſeq. adductis.

Digitized by Google

runt, humine an ſublime putreſcerent. Tantum roboris & æris circa pectus erat Cyrenæo Theodoro apud Ciceronem Tuſcul. Diſp. I, 43. item ſervo illi qui, denuntiato vitæ periculo, apud Plautum in Mil. glor. actu II. ſc. 4. verſ. 19. audacter reſpondet:

Noli minitari; ſcio crucem futuram mihi ſepulcrum:
Ibi mei majores ſunt ſiti: pater, avus, proavus, abavus.

Conf. Seneca Epiſt. XCII. circa f. ubi ſapienti viro negligendam eſſe contendit ſepulturæ curam, illique, poſt quædam affectatæ magnitudinis animi & fortitudinis verba, etiam hæc tribuit: „Neminem de ſupremo officio rogo: *nulli reliquias meas commendo.* ne quis inſepultus eſſet, rerum „natura proſpexit: quem ſævitia projecerit, dies condet. &c. Apud Petronium, Satyricôn cap. 141. memoratur quidam, cui in votis erat, ut poſt fata in legatariorum viſceribus conderetur; ita enim jubet: *Omnes, qui in teſtamento meo legata habent, præter libertos meos, hac conditione percipient, quæ dedi, ſi corpus meum in partes conciderint, & adſtante populo comederint.* Plura hujus generis exempla collegit Kirchmannus de Fun. Rom. in Append. cap. 2. p. 445. ſeqq. In jure Romano (l. 27. D. de condit. inſt.) cerritus quidam, vel ſaltem dubiæ mentis homo, occurrit, qui in ſuo teſtamento heredem ſcripſit ſub tali conditione: *ſi reliquias ejus in mare abjiciat.* Quærebatur, cum heres inſtitutus conditioni non paruiſſet, an expellendus eſt ab hereditate? Modeſtinus reſpondit: laudandus eſt magis quam accuſandus heres, qui *reliquias teſtatoris* non in mare ſecundum ipſius voluntatem abjecit: ſed memoria humanæ conditionis ſepulturæ tradidit.

§. II.

Argumentum.

Gravibus cauſſis *translationem corporum*, aut *reliquiarum* exigentibus, *Romæ Pontificum collegium* adeundum erat. —— Poſt ſuſceptum à *Julio Cæſare* Pontificatum maximum, *Imperatores* de transferendis Reliquiis judicabant vel ipſi, vel per devotos ſibi *Pontifices* —— Sic *Nero*, Pont. Max., ut ex marmoribus

bus probatur, de transferendis Lolliæ Paullinæ reliquiis ſtatuit. —— Mutuæ Plinii & Trajani Imp. de *Reliquiis transferendis* epiſtolæ, docentes illarum cognitionem in *urbe ad Imperatorem*, in *provinciis ad Præſides*, ſpectaſſe. —— Pontifices quovis modo Imperatoribus gratificari ſolebant, ad ampliores deinde dignitates evecti. —— Tres lapides, in quibus translatio reliquiarum, partim *permiſſu collegii Pontificum*, partim *Imperatoris indulgentia*, facta dicitur. —— Lapis in quo, neutrius mentione habita, translatio memoratur. —— Lapis plane ſingularis, in quo *corpora permiſſu tribuni plebis* dicuntur *translata;* ſed quod injuſſu Imperatoris non contigiſſe oſtenditur.

Quoniam vero vel incurſus fluminis, vel metus ruinæ, vel aliæ graves cauſſæ, *translationem corporum*, aut *reliquiarum* (quæ generatim prohibita erat, l. 39. D. de religg.) ſæpe exigebant: ideo Romæ adiri oportebat *Pontificum collegium*, cujus erat de omnibus cauſſis ad ſacra & religionem pertinentibus ſtatuere; quod data opera exponit Jo. Andreas Boſius in libro de Pontifice maximo Romæ veteris, Cap. IV. ſeqq.. item de Pontificatu maximo Impp. Rom. cap. 1. ſeqq. Veruntamen Republica per Julium Cæſarem occupata, translatoque ad ipſum & ſucceſſores Pontificatu maximo, *translatio reliquiarum* ex nutu Imperatorum pependit: qui vel ipſi (ſi de hominibus genere aut dignitate claris ageretur) hanc rem cognoſcebant; vel eandem Pontificum collegio permittebant. Sic *Nero*, teſte Tacito Annal. XIV, 2. *Lolliæ Paullinæ cineres reportari*, *ſepulcrumque exſtrui permiſit;* idque haud dubie qua Pontifex Maximus: quæ dignitas illi, non quidem quod ſciam ab Hiſtoricis, qui hodieque exſtant, ſed in veteribus ſaxis, quæ ætatem tulerunt, ſæpe iterumque tribuitur, e. g. apud Gruterum, pag. 154. N. 1. pag. 189. N. 1. pag. 238. N. 9. Item apud Sponium in Miſcellaneis eruditæ antiquitatis, Sect. VIII. pag. 267.; apud Donium Inſcript. antiqq. claſſe II. p. 93. N. 93., apud Gudium Inſcript. antiqq. pag. 33. N. 9. nec non apud Muratorium in Theſ. Inſcr. T. 1. pag. 227. N. 4.

Sub *Trajano* Imp. *Reliquiarum translatio* in nonnullam difficultatem atque contentionem incidiſſe videtur; namque illum, qua *Pontificem Ma-*

Digitized by Google

ximum, conſulit Plinius, Epiſt. X, 73. (69.) an *Proconſulibus* ejusmodi translationem, quam horum aliqui jam permiſerant, indulgere liceat? Tota res ex mutuis *Plinii* & *Trajani* litteris cognoſcenda datur, quas ideo in promtu pono. Ita vero Plinius: „Petentibus quibusdam, ut ſibi „*reliquias ſuorum*, aut propter injuriam vetuſtatis, aut propter fluminis „incurſum, aliaque his ſimilia quæcunque, ſecundum exemplum *Procon-* „*ſulum*, transferre permitterem: quia ſciebam in *urbe noſtra* ex ejusmodi „cauſſis *collegium Pontificum* adiri ſolere, te, Domine, *maximum Pontifi-* „*cem*, conſulendum putavi, quid obſervare me velis.„

Ad quæ Trajanus è veſtigio reſpondit: „Durum eſt injungere ne- „ceſſitatem *Provincialibus Pontificum adeundorum*, ſi *reliquias* ſuorum „propter aliquas juſtas cauſſas *transferre* ex loco in alium locum velint. „Sequenda ergo potius tibi exempla ſunt eorum, qui iſti provinciæ præ- „fuerunt, & ex juſta cauſſa cuique ita aut permittendum, aut negandum.„

Quin vero Pontifices, ſi Romæ res ageretur, eademque majoris momenti eſſet, hanc ad Imperatoris mentem, ſibi vel jam perſpectam, vel facile explorandam, expedierint, propterea non eſt dubitandum, quod temporibus callide inſervire, atque Imperatoribus quovis modo gratificari noverant: evecti deinde, ut aſſolet, ad ampliores dignitates. Occurrunt enim in veteribus monimentis *Flam. Pont. perp. Divi Aug.* apud Gruterum pag. 321. N. 6. *Pontifex Cæſarum*, ibid pag. 234. N. 2. *Pontifex Augg.* ibid. pag. 418. N. 7. *Pontifex domus Aug.*, item *Flamen perp. Divi Trajani*, ibid. pag. 101. N. 3. & 4. Conf. Muratorius Inſcript. T. 1. pag. 151. N. 1. item T. 2. pag. 867. N. 7.

Videamus jam de *Reliquiarum translatione*, partim à *Pontificum collegio*, partim ab ipſis *Imperatoribus*, conceſſa. Tempore Auguſti turpis aſſentationis exemplum præbuerunt Pontifices illi, quorum monitu Senatus (ſed hoc ipſum vehementer volens) *Reliquias* M. Oppii ædilis, viri boni

boni & plebi longe gratiſſimi, è Campo Martio, tanquam loco ſacro non rite conditus, removit; quamvis & ante & poſt multi eodem loco ſepulti ſint. Rem pluribus tradit Dio-Caſſius Hiſt. Romanæ libro XLVIII. cap. 53. edit. Reimar. pag. 567. — Romanus lapis in Boiſſardi Antiquitatum Romanarum T. III. ſive Parte V. pag. 68., ſed emendatior apud Gruterum pag 578. N. 1. hæc habet:

M. VLPIO. AVG. LIB. PHAEDIMO
DIVI. TRAIANI. AVG. A POTIONE
ITEM. A. LAGVNA. *) TRICLINIARCH
LICTORI. PROXIMO. ET. A COMMENT
BENEFICIORVM. VIXIT. ANN. XXVIII.
ABSCESSIT. SELINVNTE. PRID. IDVS. AVGVS
NIGRO. ET. APRONIANO. COSS
RELIQVIAE. TRAIECTAE. EIVS
III. NONAS. FEBR. EX. PERMISSV
COLLEGII. PONTIFICVM. PIACVLO. FACTO. &c.

In hoc lapide mentio fit *collegii Pontificum*; ſed in ſaxo Tranſilvano apud Gruterum, pag. 594. N. 7. *Imperatoris* duntaxat *indulgentia* prædicatur, verbis:

D. M
M. VLPIO. AVG. LIB
HERMIAE
PROC. AVRARIARVM
CVIVS. RELIQVIAE. EX
INDVLGENTIA. AVG. N
ROMAM. LATAE. SVNT
SALONIA. PALESTRICE
CONIVNX. ET. DIOGNES
LIB. BENEMERENTI. FECER
VIXIT. ANN. LV

Pari

*) Apud Boiſſardum male *lacuna*. Conf. Sponii Miſcell. erud. antiq. Sect. VI. pag. 209. ubi *Liviæ Aug. ſervus a Laguna*, ſive *Lagena*, memoratur. Pag. ſeq.

Pari modo tantum *permiſſus Imperatoris* indicatur in urna quadam undulata apud Fabrettum in Inſcriptionibus, ex quibus hanc repetit Gorius in Monumento, ſive Columbario libertorum Liviæ Auguſtæ, pag. 44. Verborum huc pertinentium finis eſt:

. . .. . QVEM. FVNERAVIT
FL. AMPELIS. CONIVX. CARISSIMA
ET RELIQVIAS. EIVS. PERMISSV. IMP
IPSA. PERTVLIT. CONSECRAVITQVE
CVM. Q. V. A. XII. M. III. D. XXI. SINE. VLLA
QVERELLA (ſic)

Atat duo objiciuntur lapides, qui ſententiæ noſtræ quodammodo refragari videntur: alter apud Gruterum, pag. 789. N. 1. (qui etiam exſtat apud Donium, pag. 411. N. 88. item apud Vulpium in veteri Latio profano, T. X. pag. 383.) neque Imperatoris, neque Pontificum, neque Præſidis provinciæ, mentione habita, *translationem oſſium*, quaſi de plano & ſimplici factam, commemorat:

DIS MANIBVS
HERENNIAE. LAMPADI *)
CONCVBINAE
HERENNI. POSTVMI
CVIVS. OSSA. EX
SARDINIA. TRANSLATA. SVNT

Sed

tres occurrunt *a potione*, qui potum dominis ſuis adminiſtrabant. In ſepulcralis tituli fragmento apud Gorium in Monumento, ſive Columbario libertorum Liviæ, pag. 210. occurrit *Cæſaris a cyatho;* de quo plura videſis in adnotatione ſubjuncta.

*) Curſim adnoto, in Joannis Vignolii Diſſertatione de columna Imp. Antonini Pii, inter inſcriptiones ſelectas, pag. 273. exſtare Romanum lapidem, quo *Clodia Lampas Clodiae Lampadi juniori vernae ſuae*, aliisque monumentum ſtatuit.

Digitized by Google

Sed non eſt, ut hicce lapis nos multum conturbet, cum in omiſſione auctoritatis juſtæ, ad translationem ſine permiſſu factam, non quærenda ſit argumentatio, nec conjectura capienda, quandoquidem lex, quod ſatis eſt, ideo ſuperiorum conſenſum exigit; nusquam vero præcipitur, ut tota facti ſeries in ſaxis privatim poſitis incidatur.

Plus difficultatis habet alter lapis, ſive tabula quædam marmorea Romæ, apud Boiſſardum P. V. pag. 82. & Gruterum pag. 662. N. 8. ubi *corpora permiſſu tribuni plebis translata* dicuntur; ſed ſine ulla, ſive Imperatoris, ſive Pontificum collegii, mentione. En inſcriptionem, qualem hanc protulit Gruterus:

DIS. MAN . . .
IVNIAE. L. F. CELE . . . . . .
TI. TI. CLAVDI. EVSCHENIVS. ET. PRIM
CLAVDIAE. QVIANE. EVSCHENIVS. SORORI
PRIMITIVVS. MATRI
EVSCHENIVS. CONSOBRINAE. SAMIARIAE. ARETHVSAE
ISDEM. CORPORIBVS. TRALATIS. PERM. TRIB. PL. ET
TI. CLAVDIO. EPAPHRODITO. TATAE. BENEME. FECER
ET. SIBI. ET. SVIS. LIBERTIS. LIBERTABVS. POSTERISQVE
EORVM

Quidquid vero ille *Tribunus plebis* permiſiſſe dicitur, id ſine dubio, quemadmodum Pontifices, ex peculiari Imperatoris indulgentia permiſit. Etenim poſt Auguſti tempora (qui teſte Suetonio in Aug. cap. 27. in f. *Tribunitiam poteſtatem perpetuam recepit*) hæc ſacroſancta poteſtas adeo in arbitrio Principum ſucceſſorum fuit, ut, qui hoc nomine gaudebant, totos ſe ad illorum voluntatem nutumque convertere oporteret. unde *Tribunatum* Plinius Epiſt. I, 23. *inanem umbram, & ſine honore nomen* non ſine indignatione vocat.

Tantum de hoc extraordinario exemplo, cui geminum forte tota qua late patet Antiquitas non ſubminiſtrat; in adductis ſaltem & continuo adducendis teſtimoniis nulla Tribunorum mentio habetur.

Digitized by Google

§. III.

Argumentum.

Adferuntur ceteræ Romanorum leges ad *Reliquiarum translationem* facientes: e. g. *ne corpus Solis radiis oſtendatur*, ſed translatio de *nocte*, & *piaculo facto*, ſuſcipiatur, prævia *Principis* vel *Pontificis* auctoritate: quæ etiam requiritur in tollendis cadaveribus alieno ſolo illatis, nec non in monumentis ſepulcralibus faciendis vel reficiendis —— De *arca*, ſeu *fiſco Pontificum*, cui inferenda erat pecunia pœnæ nomine ſolvenda à legum ſepulcralium violatoribus. —— Reliquiarum transferendarum cauſſa *Imperatores* adiri ſolebant *libello ſupplice*, cujus exemplum adfertur. —— De *fictilibus ſoliis* in quibus corpora condi ſolebant. —— *Chriſtiani* quoque *Imperatores*, qua *Pontifices maximi*, de corporum vel reliquiarum translatione cognoverunt. —— L. 14. ſive ult. C. de relig. & ſumt. fun. explicatur atque illuſtratur. —— Inter *Chriſtianos* Impp. poſtremus *Pontifex Maximus* fuit *Gratianus;* quod etiam affirmat Baronius, fruſtra renitentibus Gothofredo, Pagio & Spanhemio. —— *Conſtans Imp.* ſepulcrorum reficiendorum curam in provinciis mandat locorum judicibus; in ipſa urbe & Præfecto Prætorio & Pontificibus. —— *Translationem corporum* veterem juxta ac recentiorem apud *Chriſtianos* erudite expoſuit ipſe Pontifex Maximus & Celeberrimus BENEDICTVS XIV.

Quæ ſupra ex mutuis Plinii & Trajani epiſtolis retulimus, bene conveniunt cum his, quæ Imp. Antoninus A. 214. neſcio cui Doritæ reſcripſit in l. 1. C. de Religioſis: *Si vi fluminis* RELIQVIÆ *filii tui continguntur, vel alia juſta & neceſſaria cauſa intervenit: exiſtimatione* RECTORIS PROVINCIÆ *transferre eas in alium locum poteris.* Hiſce reſpondent ſequentia Julii Pauli ſentent. recept. libro 1. tit. 21. in pr. apud Schultingium in Jurispr. Ante-Juſtinianea, p. 261. verbis: *Ob incurſum fluminis, vel metum ruinæ, corpus jam perpetuæ ſepulturæ traditum, ſolennibus redditis ſacrificiis, per noctem in alium transferri locum poteſt.* Quibus addenda ſunt ejusdem Pauli l. c. §. 4. *Qui corpus perpetuæ ſepulturæ traditum, vel ad tempus alicui loco commendatum nudaverit, & Solis radiis oſtenderit, piaculum committit: atque ideo, ſi honeſtior ſit, in inſulam; ſi humilior, in metallum dari ſolet.*

Vix

Digitized by Google

Vix eſt, ut moneamus, *τὸ piaculum*, in hac re uſitatum ac tritum vocabulum, mox ſumi pro peccato expiatione digno; mox pro ipſo ſacrificio, quo tale peccatum avertitur expiaturque: quale etiam commemorat inſignis lapis p. 19. adductus. Itaque piaculo rite facto locus deſinebat eſſe *religioſus*, ex ſententia ejusdem Pauli in l. 44. §. 1. D. de relig., dummodo, ut ibi admonetur, Reliquiarum translatio impetrata eſſet. Quocirca vel *juſſio Principis*, vel *permiſſum Pontificale*, præcedere debebat; etiam cum loci dominus oſſa, vel corpus ab alio illatum, effodere vellet, ut docet Ulpianus in pr. l. 8. d. tit. de relig. verbis: „Oſſa, quæ „ab alio illata ſunt, vel corpus, an liceat domino loci effodere vel eruere „re ſine *decreto Pontificum*, ſeu *juſſu Principis*, quæſtionis eſt? Et ait „Labeo, exſpectandum vel *permiſſum Pontificale*, ſeu *juſſionem Principis*: alioquin injuriarum fore actionem adverſus eum qui ejecit.„ Eadem quoque auctoritate opus fuiſſe in monumentis ſepulcralibus vel faciendis vel reficiendis, monemur ex lapidibus litteratis, diſertam *Pontificum* mentionem facientibus. Prius docet lapis Romanus apud Sponium in Miſc. erud. antiq. Sect. VI. pag. 223., poſterius lapis apud Gruterum pag. 518. N. 4. Addatur omnino Ulpianus in l. 5. D. de mort. inf. Sed *Principis* & *Pontificis* auctoritatem in monumento per heredem faciendo ita conjungit Papinianus in fine l. 50. D. de hered. petit., ut ab alterutro heredem invitum cogendum eſſe adſtruat, verbis: „Quamvis ſtricto „jure nulla teneantur actione heredes ad monumentum faciendum, tamen *Principali* vel *Pontificali auctoritate* compelluntur ad obſequium ſupremæ voluntatis.„ Plura hanc in rem dixit Gutherius de Jure Manium, libro III. cap. 21.

Hoc etiam notandum eſt, *Pontificibus arcam*, ſive *fiſcum* fuiſſe, cui inferenda erat pecunia, pœnæ nomine ab his ſolvenda, qui in leges ſepulcrales peccabant: e. g. qui ſepulcro aliud corpus inferebant: qui ſepulcrum vel monumentum contra conditoris voluntatem vendebant, vel quocunque modo alienabant; ſimili pœna emtoribus ſtatuta. Superſunt

Digitized by Google

ſunt ideo luculentæ inſcriptiones apud Gruterum, p. 383. N. 4. p. 672. N. 1. pag. 765. N. 5. pag. 809. N. 2. pag. 903. N. 6. pag. 946. N. 6. quas omnes in medium attulit Gutherius de veteri jure Pontif. libro II. cap. 12. nec non de Jure Manium libro III. cap. 4. in f. cap. 6. Addi his merentur duo lapides, publici juris facti ab Humphrido Prideaux in Marmoribus Oxonienſibus, pag. 148. N. 113. & N. 115. quorum prior, cum aliqua lectionis & interpunctionis varietate, etiam exſtat apud Malvaſiam inter Mamora Felſinea, pag. 482.

Quandoquidem vero Imperator, ſiquid ab eo petendum erat, non viva voce ſed libello ſupplice adiri ſolebat; isque petito annuens, vel ipſe, vel per alios, plerumque per Juriſconſultos, libellis ſubſcribebat*): ita hoc etiam, cum *corpora transferenda* eſſent, factum fuiſſe diſcimus ex litteris Velii Fidii ad Jubentium vel Juventium Celſum, Magiſtrum libellorum vel Promagiſtrum ſub Antonino Imperatore**) ſcriptis, quas una cum ipſo libello Imperatori offerendo exhibet Gruterus pag. 607. N. 1. Sed miſſas facimus haſce litteras, vel à quadratariis, vel ab exſcriptoribus, vel ab utriſque adeo vitioſe exhibitas, ut magna harum pars bene intelligi nequeat. Suffecerit itaque, Velii Fidii libellum ſupplicem, poſt Briſſonium, Bertrandum, Gruterum, Gutherium & Gorium ***) in medium adferre, ſed eundem paullo emendatiorem & plana ſcriptura:

Cum

*) Hoc multis Auctorum & legum teſtimoniis oſtendit Barnabas Briſſonius Select. ex jure civili antiquitatum libro III. cap. 7. Conf. E. Ottonis Papinianus, cap. 14. pag. 493. ſeq.

**) De Juventio Celſo, Celſi filio & promagiſtro diſputat Jo. Bertrandus de Juriſperitis libro I. cap. 10. §. 6. Comparetur, ſi tanti eſt, J. G. Heineccii Diſſert. de Juventio Celſo, inter Opera A. 1746. Genevæ edita, T II. p. 530.

***) In Monumento ſive Columbario libertorum & ſervorum Liviæ Auguſtæ & Cæſarum, p. 39. qui in Tabula VIII. *ſarcophagi fictilis* & marmorei ſchemata in æs inciſa exhibet.

Digitized by Google

*Cum ante hos dies coniugem & filium amiſerim, & preſſus neceſſitate corpora eorum fictili ſarcophago *) commendaverim, donec quietis locus, quem emeram, ædificaretur via Flaminia inter miliar. II. & III. euntibus ab urbe parte læva . . **) rogo, Domine, permittas mihi in eodem loco in marmoreo ſarcophago, quem mihi modo comparavi, ea corpora colligere, ut quandoque ego eſſe deſiero, pariter cum eis ponar.*

SEPVLCRVM ***) FIERI PLACET.

Jubentius Celſus promagiſter ſubſcripſi III. non. Novembr. Antio Pollione & Opimiano cos. ordinariis. Severo & Sabiniano cos.

Non minus de *corporum* vel *reliquiarum translatione* cognoviſſe *Chriſtianos Imperatores*, diſcimus ex l. 14. ſive ult. C. de religg. & ſumt. fun. in qua Impp. Valent. Theod. & Arcad. ad Cynegium P.P. hæc A.C. 386. ſcribunt: *Nemo humatum corpus ad alium locum, ſine Auguſti affatibus, trans-*

*) Habemus etiam *fictilia ſolia*, ſive arcas mobiles, quibus integrum corpus conditur, apud Plinium Nat. Hiſt. XXXV, 12. (edit. Gronov. p. 609.) verbis: *quin & defunctos ſeſe multi fictilibus ſoliis condi maluere.* Legi autem debere *ſoliis*, non *doliis*, ediſſerit Joannes Harduinus in obſerv. ad h. l. Tomo II. pag. 711. cui jungendus eſt Schultingius ad Julii Pauli Sent. rec. libro 1. tit. 21. §. 9. Jurispr. Antejuſt. p. 264. Conſ. Torrentius & Salmas. ad Suetonii Neronem, cap. 50. perhibentis, conditum illum fuiſſe in *ſolio Porphyretici marmoris.* quibus verbis monemur, ſæpe numero *ſolium*, mortui loculamentum, proxime abeſſe à *ſolio*, ſede regia.

**) Quæ hic ſequuntur apud Gruterum, ad pleniorem loci ſepulcralis deſignationem ſpectantia, ſed ſine dubio oſcitanter deſcripta, prætermittenda cenſuimus, prætermiſſa etiam à Briſſonio.

***) Gruterus & Gutherius legunt *Feretrum;* ſed Briſſonius & Bertrandus habent *Sepulcrum*, quod rei præſenti magis convenire arbitror.

transferat. Vulgo legitur: *humanum*, quam lectionem quoque tuentur Baſilica, Tomo VI. libro 59. tit. 1. de monumentis & ſumtu funeris, cap. 14. verbis: *μηδεὶς ἀνθρώπινον σῶμα χωρὶς κελεύσεως βασιλικῆς εἰς ἕτερον τόπον μεταφερέτω. Nemo corpus humanum ſine juſſu Principis in alium locum transferto.* Nihilominus recte & probabiliter Gothofredus reponit *humatum;* quia humanum corpus, nondum humatum, ſine Principis permiſſu, ut ſupra p. 12. oſtendimus, transferri poterat, niſi *quis in inſulam deportatus vel relegatus fuerit;* tunc enim (ſunt verba Marciani in l. 2. D. de cadaveribus punitorum) *poena etiam poſt mortem manet: nec licet eum inde transferre aliubi, & ſepelire inconſulto Principe: ut ſæpiſſime Severus & Antoninus reſcripſerunt, & multis petentibus hoc ipſum indulſerunt.* Emendationi favet & patrocinatur l. 7. C. Theod. de ſepulcris violatis, eodem anno ad eundem Cynegium P. P. Orientis à Theodoſio M. miſſa, cujus initium totidem verbis ſic habet: *Humatum corpus nemo ad alterum locum transferat; nemo Martyrem diſtrahat; nemo mercetur,* &c. Quæ docte, more ſuo, & fuſe explicat Jacobus Gothofredus, Cod. Theod. Tomo 3. p. 152. ſeqq.

Nulla quidem in d. l. 14. Cod. Juſtin. mentio fit *Pontificum;* cave tamen exiſtimes, eorundem auctoritatem, invaleſcente Chriſtianorum religione, mox eviluiſſe vel periiſſe. Longe alia ſæculi IV. & V. ſcriptor Symmachus paſſim in ſuis Epiſtolis oſtendit; e. g. quæ libro II. epiſt. 36. de Virginibus Veſtalibus & Pontificibus refert. Etenim quum ipſi Chriſtiani Impp. Conſtantinus, Valentinianus, Valens & Gratianus *Pontificis Maximi* titulo uſi ſint (id quod æqualium ſcriptorum teſtimoniis, & veteribus monimentis, apud Gruterum aliosque inſcriptionum editores obviis, ediſſerit Boſius jam ſupra laudatus de Pontificatu Maximo Impp. cap. 5. *); & demum *Gratianus* (quem Auſonius in Panegyrico illi dicto

cap.

*) Eandem ſententiam, à qua ante valde abhorruit, propugnat *Cæſar Baronius* Annal. eccleſ. Tomo. III. ad A. C. 312. N. 93. ſeqq. p. 118. ſeq. item Tomo IV. ad

cap. 15. n. 1. & cap. 18. n. 2. diſerte *Pontificem Max.* appellat) extremis imperii annis ſtolam Pontificiam Flaminibus reddiderit *): non ſane mirum eſt, à Chriſtianis Imperatoribus rem ſepulcralem (ſed forte ſolum Ethnicorum) in Urbe *Pontificibus*, ut antea, mandatam fuiſſe. Diſcimus hoc inter alia ex l. 2. C. Theod. de ſepulcris viol., per quam Conſtans Imp. A. 349. jubet, ut ſepulcrorum reficiendorum cura, in provinciis ad *locorum judices;* Romæ vero æque ad *Præfectum Prætorio* Limenium (cui hæc lex inſcribitur) atque ad *Pontifices* ſpectaret; ita enim Conſtans circa fin. dictæ legis: „Qui vero libellis datis à *Pontificibus* impetrarunt, ut re„parationis gratia labentia ſepulcra deponerent, ſi vera docuerunt, ab „illatione multæ ſeparentur. At ſi in uſum alium depoſitis abuſi ſunt, „teneantur pœna præſcripta. Hoc in poſterum obſervando, ut *in Pro„vinciis, locorum Iudices; in Urbe Roma, cum Pontificibus tua Celſitudo* „inſpiciat, ſi per farturas ſuccurrendum ſit alicui Monumento.„ Quod ſi vero *de transferendis Martyrum vel Confeſſorum reliquiis* quæſtio incideret, hæc ipſis Imperatoribus, qua Pontificibus Maximis, curæ cordique erat; etenim CONSTANTINVS (teſte Hieronymo adverſus Vigilantium, Epiſt. T. II. pag. 160. lit. *c.*) *ſanctas reliquias Andreæ, Lucæ, & Timothei tranſtulit Conſtantinopolim. -- Auguſtus* ARCADIVS *oſſa beati Samuelis longo poſt tempore de Judæa tranſtulit in Thraciam.* Conf. omnino, quoad Conſtantinum, S. Paulinus, Epiſcopus Nolanus, in Natali S. Fe-

ad A. C. 383. N. 5. p. 596. In alia omnia diſceſſit *Jacobus Gothofredus* in Epiſtola de interdicta Chriſtianorum cum Gentilibus communione, ſectatorem nactus *Antonium Pagi* in Critic. Baronii ad A. C. 312. N. 16. ſeqq. p. 43. Hiſce ſe ſociavit *Ezechiel Spanhemius* in Diſſert. XII. de præſtantia & uſu Numiſm. antiqq. Vol. II. p. 413. ſeqq. Verum hic Vir litteratiſſimus vel non vidit, vel ſe vidiſſe diſſimulat, laudatam Boſii diſſert., qua contrariæ argumentationes (ſeorſum Gothofredi) ita dilutæ ſunt, ut cauſſa jam videri poſſit perorata.

*) Hoc ex Zoſimo, Hiſtoriarum libro IV. cap. 36. (edit. Cellarii p. 435., edit. Oxon. p. 250.) recte colligitur.

Digitized by Google

Felicis, Carm. XI. verſ. 321-335. ſeq. apud Muratorium, Anecdotorum ex Ambroſiana Bibliotheca, T. 1., & quæ ibi editor in Animadverſionibus p. 27. adjecit.

Sed non eſt, ut de *Translatione Corporum ſanctorum* hic pluribus diſputemus, quum omne, quidquid hujus argumenti eſt, data opera expoſuit BENEDICTVS XIV. Pontifex Maximus, omni humanitatis & eruditionis laude celebratus, in libro *de Servorum Dei beatificatione, & beatorum canonizatione*, Operum T. IV. cap. XXII. quod inſcriptum eſt: *de translatione corporum*, pag. 774. ſeqq.

CAPVT III.

De Sanctis Reliquiis earumque cultu apud Chriſtianos.

§. I.

Argumentum.

Quid *Reliquiarum Sanctarum* nomine apud Chriſtianos intelligatur? Earum triplex diviſio. —— *Martyrum* & *Confeſſorum* diſcrimen; id quod tamen non ſemper ſervatur. —— *Reliquiæ ſanctæ* ſunt vel *naturales*, velut oſſa, dentes, &c., vel *adſcititiæ*, e. g. veſtimenta, &c. His accenſentur *inſtrumenta*, quæ vel mortem vel cruciatus attulerunt. Cur iſthæc omnia vocentur *Sancta?* Teſtimonia S. Scripturæ, *rebus inanimatis* Sanctitatem tribuentia. —— Sanctitas Reliquiarum cum *Brandeis*, ſive velaminibus, communicata. —— Vox *Reliquiæ* proprie ad hominem mortuum pertinet, tamen annis volventibus porrecta fuit (etiam ab *Hugone Grotio*) ad ea quæ adhuc viventis erant: ut *fimbria veſtimenti Servatoris; ſudaria* vel *ſemicinctia Pauli*; immo quoque *Petri umbra.* Hæc ſententia quo modo admitti poſſit? Rectius huc referuntur *oſſa Eliſæi*, quorum attactu homo mortuus in vitam revocatus eſt.

Hactenus *Reliquiarum* cauſa potiſſimum inter Gentiles, ſive Ethnicos, verſati ſumus, licet ad Chriſtianos nonnunquam pro re nata devertimus. Quandoquidem vero cum his nunc res omnis agetur, non poteſt non in primo aditu nos paulisper detinere peculiaris ille atque nobi-

Digitized by Google

nobiliſſimus ſignificatus, hodieque uſitatiſſimus, quo, RELIQVIARVM nomine ſimpliciter audito, intelliguntur *res* quædam *ſanctæ*; atque ideo primum ea quæ humani generis redemtor JESVS CHRISTVS; deinde familia ejus *κατὰ σάρκα* (potiſſimum MATER *ἡ εὐλογημένη ἐν γυναιξὶν*); tum APOSTOLI; denique alii ſancti homines, utriusque ſexus, cum MARTYRES, tum alii Chriſtianæ fidei profeſſores, ſigillatim CONFESSORES *) dicti, rebus humanis evocati, in terris reliquiſſe dicuntur: ſive hæc ad ipſorum *partes naturales* pertinuerunt: (veluti oſſa, dentes, carnes, capilli, cineres) ſive ad *res aſcititias*, vitæque uſum comparatas: veluti veſtimenta, pepla, ſudaria, zonæ, ſandalia, calcei, & id genus alia **). Quæ omnia ex veteri & recentiori loquendi more *κατ' ἐξοχὴν Reliquiæ* vocantur. His etiam accenſentur *inſtrumenta inanimata*, quæ CHRISTO, ejusque athletis fortiſſimis, vel mortem, vel tetros cruciatus attulerunt; qualia LIPSANOGRAPHIA, huic Diſquiſitioni adjuncta, abunde ſufficit: inter quæ fragmina crucis dominicæ, coronæ ſpineæ, hisque paria, principem locum tuentur; nec immerito *ſancta* vocantur: partim quod pia

*) Ita vocabantur qui cum honoris & fortunarum jactura, magno ipſius vitæ periculo expoſiti, Chriſtum profeſſi ſunt; hinc appellati *Martyres deſignati* à Tertulliano, Operum libro VII. in pr. quod docte illuſtrat De la Cerda in Notis, p. 326. N. 8. MARTYRES (ſumta forſan appellatione ex Epiſt. ad Ebræos XI, 39. & XII. in pr.) audiunt, qui profeſſionem fidei in Chriſtum cruenta morte confirmarunt. Notabilis horum deſcriptio exſtat apud Ammianum Marcellinum Rerum geſt. XXII, 11. circa f. edit. Gronov. p. 354. verbis: *qui deviare à religione compulſi, pertulere cruciabiles poenas, adusque glorioſam mortem intemerata fide progreſſi, & nunc* MARTYRES *appellantur.* Vocabula tamen *Confeſſor* & *Martyr* ſæpe iterumque confundi ſolent ab Hiſtoriæ eccleſiaſt. ſcriptoribus. Subtiliter & copioſe hac de re diſſeruit Benedictus XIV. Pont. M. in libro *de ſervorum Dei beatificatione, & Beatorum canonizatione*, Operum Tomo I. cap. 2. quod inſcripſit: *de Martyrum juxta antiquam Eccleſiæ diſciplinam differentiis, & eorum cultu.*

**) An credere fas ſit, hæc, poſt tantum ſæculorum decurſum, ad noſtra tempora durare potuiſſe, infra diſputatur, Cap. VI. §. 1.

Digitized by Google

pia Antiquitas hæc *ſanctis*, id eſt inviolabilibus & reverenter habendis, adſcripſit (ſicut veteres Juriſconſulti *ſanctas* dixerunt leges, portas, muros urbis, in legibus 1. 8. & 9. D. de rer. diviſ. item §. 10. Inſt. eod.): partim quia (ut animadvertit Gregorius Turonenſis de Gloria martyrum libro 1, 7. Operum p. 729. ſeq.) *omne, quod ſacro-ſanctum corpus attigit*, (niſi ſit impurus homo & ſceleratus) *eſt ſacratum*. Quo & facit ſacra Scriptura, quæ non ſolum homines piam vitam agentes vocat *ſanctos* *), ſed etiam reſpectu Dei & uſus ſacri, *res inanimatas* diſerte appellat *ſanctas*: e. g. *loca, montes*; (Exod. III, 5. Joſ. V, 15. Eſai. XI, 9. II. Petri I, 18.); *dies quosdam* (Exod. XII, 16.); *veſtes ſacerdotum* (Exod. XXVIII, 2. & 4.); *ſacros libros*, τὰ ἱερὰ γράμματα (II. Timoth. 3, 15.) Forte hanc ob cauſam eccleſiaſtici ſcriptores *ſanctitatis* qualitatem & virtutem tribuerunt *Brandeis*, i. e. velaminibus, qua ſericis qua linteis, quibus Sanctorum reliquiæ vel involvi, vel hiſce, aut ſaltem illorum ſepulcris, thecis & loculis, admoveri, & deinde per particulas Chriſtianis dividi ſolebant, ut *Reliquiarum* loco eſſent; & ideo *ſanctuaria* vocabantur; namque olim grande nefas credebatur, ſi quis vel ſummis digitis Reliquias attrectabat, aut quidpiam ex iis detrahebat, vel abradebat. Vide, ſi placet, de hiſce *Brandeis* copioſe & abundanter diſputantem Jo. Ferrandum in Diſquiſitione reliquiaria, libro 1. cap. 3. ſect. 2. pag. 125. ſeqq. cui quædam oppoſuit Muratorius Anecdotorum Tomo II. p. 193. ſeqq. Conf. Dufreſne in Gloſſario ad Scriptores mediæ & infimæ Latinitatis, voce: *Brandeum* & *Brandium*.

Hoc vero præ ceteris miniata cerula notandum videtur, vocabulum *Reliquiæ* (licet ad res à mortuo homine relictas proprie pertineat) poſtea latius patuiſſe, tandemque ad ea, quæ adhuc viventis erant & aura veſcentis, accommodatum fuiſſe: puta ad *fimbriam* veſtimenti Servatoris, quam

*) e. g. Pſalm XVI, 3. Pſalm LXXXVI. (*Vulg.* LXXXV.) verſ. 2. In epiſtolis Paulinis hancce appellationem frequentiſſime occurrere, nemo neſcit.

Digitized by Google

quam γυνὴ αἱμοῤῥοῦσα & alii homines periculoſe ægrotantes, valetudinis cauſſa optatiſſimo ſucceſſu attingebant *): item ad *ſudaria* vel *ſemicinctia* Pauli, quæ ægris hominibus admota morbos & malos ſpiritus continuo abigebant, ut diſcimus ex Actis Apoſt. XIX, 12. Quid? quod huc refertur *Petri umbra* (etſi hæc nihil aliud quam corporis objectu impedita lux) gemina depellens mala, Act. V, 15 & 16. Iſthæc non tantum à Bellarmino **) *Reliquiis* adſcribuntur, ſed etiam ab Hugone Grotio in Annotatis ad Conſultationem Caſſandri, Art. XX. Vid. Grotii Opera Theol. Tomo IV. edit. Baſil. p. 624. col. I. circa f. Mihi quidem illa tum demum admittenda videntur, ſi hæc à Bellarmino & Grotio κατὰ πρόληψιν, ſive anticipationem, dicta exiſtimemus. Interea huc rectius referuntur *oſſa Eliſæi*, quorum attactu homini mortuo vita rediit, ut legimus Regum II. (*Vulg.* IV.) cap. 13. verſu 21. juncto Siracide, 48. 15.

§. II.

Argumentum.

Brevis excurſus ad G. CASSANDRVM, H. GROTIVM, & G. G. LEIBNITIVM, viros eximios & componendarum Religionis controverſiarum ſtudioſiſſimos; ſed ſucceſſu irrito. —— Breve conſilium de arctiori civitatis Chriſtianæ conjunctione: de qua, ſæculo quod vivimus, ſpem bonam inchoare licet.

Excitavi in f. §. prioris Conſultationem *Georgii Caſſandri;* ſed cum multis vir ſuo tempore celeberrimus, hodie forſan parum notus ſit cognitusque; & dignum laude virum hiſtoria vetet mori: haud tempero mihi, quin de illo, ejusque commentatore *Hugone Grotio*, nonnulla ſubjiciam, quæ boni lectores libenter recognoſcent. Erat CASSANDER Theologus Belga; isque ob ſingularem pietatem, eruditionem & moderationem animi, ab Impp. *Ferdinando I.* & *Maximiliano II.* de conciliandis in Religione

*) Vid. Matth. IX, 20. ſeqq. XIV. in f. Marc. V, 27. ſeqq. Luc. VI, 19, VIII, 44. ſeqq.

**) De reliquiis Sanctorum, libro II. cap. 3. Operum Tomo II. p. 768. & potiſſimum p. 778. lit. c.

gione controverſiis conſultus, ſcripſit A. 1564. vel ſeq. ad hoſce Imperatores (ut titulus habet) *de articulis religionis inter Catholicos & Proteſtantes controverſis Conſultationem;* atque hanc, præter morem ſæculi, ingenuam, temperatam & bonæ frugis plenam, nec hodie indignam, quæ arctiorem inter Chriſtianos conjunctionem adhuc optantibus iterum commendetur. Exſtat hæc Conſultatio inter Opera ejus A. 1616. Pariſiis in *Fol.* edita, p. 893. ſeqq. ſeorſum legitur in libro qui inſcribitur: *Via ad pacem eccleſiaſticam. Juxta exemplar editum Lutetiæ Pariſiorum* 1642. *in* 8. Ad eandem Conſultationem Vir eximius HVGO GROTIVS A. 1641. *Annotata* edidit, in quibus pleraque Caſſandri (ſpeciatim *de Reliquiis & cultu imaginum*) aſſenſu ſuo comprobavit. Verum enim vero utriusque labor ſucceſſu caruit. Caſſandri ſcripta (tametſi *Maximiliano Imp.*, multis Principibus, & quam plurimis viris præclatis valde placuerant, *) diu poſt Auctoris obitum vetitis libris annumerata ſunt: **) ideo haud dubie, ſi Bellarminum audiamus, ***) quod Caſſander *in componendis controverſiis nimium facilis* viſus ſit. Scilicet ea tempeſtate moderatio animi & æquitas res erat pæne intermortua: nam quo acrius quiſque & pertinacius (Tros Rutuluſve) opinionem præjudicatam defendebat, mordicusque tenebat, eo exercitatior meliorque palæſtrita vel pugil à ſuis habebatur. Hujusmodi laudem non affectabat *Caſſander*, nec *Grotius*: quippe qui vivus vidensque, ob multa, ad placandas hominum iratorum vo-

*) Videantur *Epiſtolæ illuſtrium & clarorum virorum ſelectiores* ſæculo XVI. ſcriptæ vel à Belgis vel ad Belgas, tributæ in Centurias II. Curante *Dan. Heinſio.* Lugd. Bat. 1617. 8. Tota propemodum Centuria I. ſpectat ad *Caſſandrum.* Imperatoris *Maximil. II.* epiſtola, qua Caſſandri Conſultationi ſummam laudem tribuit (data Viennæ-Auſtriæ a. d. 21 Febr. A. 1565.) exſtat p. 208. ſeq. ſed anno ſeq. III. non. Febr. *Caſſander* rebus humanis ereptus eſt.

**) Vid. Index librorum prohibitorum Alexandri VII. P. M. juſſu editus Romæ, 1667. Fol. pag. 53. col. 2.

***) In libro de Membris Eccleſiæ libro III. Cap. 19. Operum Tomo II. p. 548. ſeq.

Digitized by Google

voluntates mira animi levitate & eruditione propoſita, jamque Operum T. IV. inſerta, in varias reprehenſiones incurrit, & nil niſi odium & graviſſimam offenſionem reportavit: quin etiam à concionatore quodam Amſtelædamenſi (hic homo *Laurentius* vocabatur) A. 1642. libellus octonis formis publicatus fuit, præmiſſo titulo: *Hugo Grotius papizans;* in cujus præfatione tantus vir, ſæculi ſui decus, & in omne ævum nobilis, appellatur *Calumniator & Apoſtata;* ut alia aſpere & ferociter dicta præteream, temere effutita in ejusdem Laurentii *Epiſtola Grotii anatomizata,* eodem anno edita. Tantæ tunc erant iræ animis, qui volebant cœleſtes videri, reapſe τῆς ὁμοδοξίας ſtudioſiores quam τῆς ὀρθοδοξίας, licet hoc nomen ſemper prætexerent, & tanquam rem patriam avitamque vindicarent.

Quod ſi temporum illorum æqualis fuiſſet ὁ πάνυ LEIBNITIVS, æque gemino ſtudio ac miti & rixarum fugiente ingenio in tollenda Religionis diſſidia & divortia animatus paratuſque: haud dubie ipſi eadem invidiæ atque odii tempeſtas impendiſſet: nam, quod manu ſua ſcriptum reliquit, *Syſtema theologicum,* ad Grotii doctrinam tam prope accedit, ut in plerisque fere unum atque idem edoceat; dubitemque, an Eccleſia Romanæ ſedi adhærens, in multis rebus dubiis controverſisque, acutiorem pariterque moderatiorem cauſſæ ſuæ patronum adoptare potuiſſet.

Quandoquidem vero non ſolum illi TRESVIRI, de quibus diximus, ſed multi quoque alii, priores iſtis & poſteriores, eandem operam fruſtra contriverunt: poſſit quis animum inducere, poſt tot *Concilia, Colloquia,* ceterosque labores, qua penna qua bipenni incaſſum ſuſceptos, eo minus de arctiori Chriſtianæ civitatis conjunctione cogitandum eſſe, *quod plerique* (ſicut Grotius in Voto pro pace eccleſiaſtica ad art. 1. in pr. acute obſervat) *ibi manent, quo eos naſcendi ſors, aut educatio, aut ſpes honorum & commodi detulit, & ſuis altum clamantibus acclamant:* εὖγε, σοφῶς.

E Nihilo

Digitized by Google

Nihilo ſecius illud arctius conſortium ſæculo noſtro, (in quo, ut ævo Trajani Imp., *ſentire quæ velis, & quæ ſentias dicere licet* *) tentari iterum, & tempore ſperari poſſe, mihi perſuadeo: SI PRÆTERITIS OMNIBVS RIVVLIS, PLVS MINVSVE TVRBIDIS, EX IPSO FONTE HAVRIATVR; id eſt: ſi Religio Chriſtiana, *qualis* hæc à CHRISTO & APOSTOLIS tradita fuit, *talis* denuo à viris bonis, juſta ſocietate conjunctis, iisque vere piis, ſolide doctis, rixas & cavillationes procul habentibus, nec ulli ſectæ vel cœtui temere inimicis, nec plus æquo faventibus, *hæc*, inquam, *Religio*, ſine pompa, ſine invidia, ſine ulla oſtentationis & τῆς ἐπιχαιρεκακίας ſuſpicione, ad cujusvis hominis captum ſimpliciter & candide ob oculos ponatur: *Myſteriis* ejus, omnium conſenſu magnis, ſed in altera demum vita intelligendis, **) debitus honor habeatur: hocque pacto CREDENDA & AGENDA probationibus paucis, ſed firmis, perſpicuis, & unice ad rem facientibus, muniantur: quæ tanto temporum tractu luxata ſunt vel diſtorta, in locum ſuum reponantur: quæ ſocordia hominum, vel ignorantia recti, in deſuetudinem, vel voluntariam oblivionem, abierunt, hæc auctoritate divina (cui nulla temporis vel moris præſcriptio officit) revocentur & reſtituantur. Quæ vero oraculis & mandatis divinis non repugnant, quæque vitio & juſta reprehenſione carent, eatenus ferantur, quin etiam excitentur, quoad pietatem vel augere, vel eidem, forte languenti, igniculos dare valeant: attamen nullius conſcientiæ, à vi & dominatu hominum prorſus abhorrenti, quidquam obtrudatur; vetante hoc Apoſtolo ad Rom. XIV. — Bonum quoque fuerit atque commodum, ſi pro re nata adhibeantur alii & uſu & ſapientia præſtantes viri, ubicunque terrarum & gentium degant, amplis etiam præ-

*) Tacitus Hiſt. I, 1. in f.

**) Vid. omnino Epiſt. ad Corinth. I, 13. 9. 12. I. Timoth. 3, 16. — Huc ſpectant illa Lactantii de falſa ſapientia, Opp. libro III, 6. poſt pr. *Ubi ergo ſapientia eſt? Ut neque te omnia ſcire putes, quod Dei eſt; neque omnia neſcire, quod pecudis. Eſt enim aliquod medium, quod ſit hominis, id eſt ſcientia cum ignoratione conjuncta & temperata.*

Digitized by Google

præmiis ad rem arduam invitandi atque eliciendi, quemadmodum hodieque à *Societatibus ſcientiarum* in publica commoda fieri ſolet.

Veruntamen in toto hoc negotio, cujus initia poſuimus, *Veritas* & *Charitas* primas partes teneant; *Modeſtia* ſecundas; *tricandi & vitilitigandi cacoëthes* nullas. Quæ omnia plenius ac melius dixit Apoſtolus in Epiſt. ad Ephes. cap. IV. & I. ad Timoth. VI, 3, 4, 5. 20. Sed revertamur jam eo, unde huc digreſſi ſumus.

§. III.

Argumentum.

Quæſtio *de Reliquiarum cultu* inter antiquiſſimas ponenda videtur ob verſ. 9. epiſt. Judæ Apoſt. —— Ratio inſtituti indicatur. —— Pleræque lites de hocce cultu ſæc. VIII. agitatæ in λογομαχίαν deſinunt propter verba non ſatis explicata: *Adorare*, *Colere*, *Honorare*, & *Venerari*. Latinorum *Adorare* & Græcorum προσκυνεῖν quid proprie denotet? —— Variæ Imperatorum Rom. leges *de adoratione & oſculatione purpuræ Principis*, item *Serenitatis*. —— Aliæ ſignificationes τοῦ *Adorare*. —— Plinius *Adorare* & *Venerari* eodem ſenſu ſumit, ſicut etiam nunc Britanni & Gallo-Franci. *Adoratio* in ſenſu emendatiori Chriſtianorum. —— S. Epiphanius *adorationem B. Mariæ Virginis* gravibus verbis improbat. —— Concilium Tridentinum Seſſ. 25. ab illo vocabulo quidem abſtinuit, ſed adhibitæ voces: *Honor* & *Veneratio*, omnem errandi cauſſam non præcidunt. Scita ipſius Synodi exhibentur.

Jam in limine hujus libri monuimus, *Reliquias* generatim diſpartiri poſſe in *profanas* & *ſacras*; has vero in *tres claſſes* in §. 1. hujus Capitis indicatas. Si quis tamen cenſuerit, Reliquiarum vel pauciores vel plures partitiones eſſe faciendas, cum hoc non valde luctabimur, ſed qualibet tolerabili conditione tranſigemus.

Hic autem incidimus in quæſtionem olim vehementer agitatam, necdum undequaque deciſam, quid de *Reliquiarum cultu* (quem alii enixe commendant, alii vel penitus rejiciunt, vel admodum arctis limitibus circumſcribunt) ſentiendum ſit atque judicandum? Hæc quæſtio utique inter longe antiquiſſimas ponenda eſt, ſi Cacodæmon (ut permulti exiſti-

mant viri docti ad Epiſt. Judæ Apoſt. verſ. 9.) cum Archangelo Michaële de *corpore Moſis* ideo contenderit, ut effoderetur; quo facto Iſraëlitæ ad ejus *cultum idololatricum* perducerentur. Verum hæc altioris indaginis mittimus; nec patitur inſtituti noſtri ratio, ut omnes veteris mediique ævi annales, præſertim Scholaſticorum rixas de *Reliquiarum cultu*, repetamus; nam de hoc genere adeo ſunt multa, quæ loquacem Horatii Fabium delaſſare valeant. Hoc tamen medium tenebimus, ut ſcitu digna, & ad rei quam tractamus explicationem facientia, paulo plenius enarremus; ſed litium eo brevior mentio habeatur, quia pleræque, præſertim ſæculo VIII. in Conciliis Nicæno II. & Francofurtano obmotæ, ita comparatæ ſunt, ut in meram λογομαχίαν deſinere videantur. Etenim τὰ: *adorare, colere, honorare* & *venerari*, quæ in hacce cauſſa utramque paginam faciunt, non poſſunt non inextricabiles controverſias parere, niſi horum verborum diſtincta explicatio atque enodatio antecedat: quod vitandæ λογομαχίας cauſſa eo magis neceſſe erat, quoniam Latinorum *Adorare*, Græcorumque προσκυνεῖν, proprie nihil aliud denotat, quam ſignum honoris admota ori manu, ſicut multis teſtimoniis oſtenditur in melioris notæ Lexicis. Sed habemus, quæ iis addamus: *Adorare purpuram Principis*, eſt tangere illam, atque ad os reverenter (certe in ſpeciem) admovere. Legimus enim, Imperatores his, quos ad colloquium admittebant, *purpuræ deoſculandæ* copiam feciſſe *), quod variæ Conſtitutiones in Codice Juſtinianeo libro XII. exſtantes **) diſerte vocant *adorationem purpuræ*, vel *ſerenitatis*,

*) Ejusmodi *Adorationem* hodie adhuc paſſim in uſu eſſe, quis ignorat?

**) Vid. Conſtit. *Zenonis* in l. 4. C. de Conſulibus, & non ſpargendis ab his pecuniis. —— Conſtitutiones *Honor.* & *Theod.* in l. 1. de Præpoſitis ſacri cubic. —— l. unic. de Comitibus & Trib. —— in l. 1. de Silentiariis. —— in l. ult. de Palatinis ſacr. largit. —— Conſtit. *Leonis* & *Zenonis* in l. 2. de privilegiis ſcholarum. —— Conſt. *Juſtin.* in l. 7. qui militare poſſunt. —— Conſt. *Valent.* & *Valentis* in l. 1. de apparit. præf. præt. —— Conſt. *Grat. Valent.* & *Theod.* in l. 1. de apparit. præf. urb.

Digitized by Google

tatis, item *Venerationem*. Addantur omnino, quæ de Conſtantio refert Ammianus Marcellinus Rer. geſt. libro XV. cap. 5. edit. Gronov. p. 89. ſeq. quæque ibi doctiſſimi viri Lindenbrogius & Valeſius annotarunt, juncto Philippo Rubenio Electorum libro II. cap. 30. p. 79. ſeq. Alias verbi *Adorare* ſignificationes (puta pro *agere*, *ſalutare*, *optare*, *accedere*) ſuppeditant jam excitata Latinæ linguæ Promtuaria, quæ tamen hoc loco multum locupletari poſſunt, partim ex animadverſionibus I. L. de la Cerda ad Tertullianum de Idololatria, ſive libro X. pag. 496. partim ex Matthæi Brouërii de Niedek Diſſertatione de Populorum veterum ac recentiorum Adorationibus, Cap. 1. Conſtat etiam, τὸ *Adorare* pro *venerari* vel *valde amare*, tam apud veteres, quam hodie apud Britannos & Franco-Gallos, uſurpari; ita enim Plinius Nat. Hiſt. XXVII, 1. in pr. ſcribit: "Creſcit „profecto apud me certe tractatu ipſo admiratio antiquitatis: quantoque „major copia herbarum dicenda reſtat, tanto magis *adorare* priſcorum in „inveniendo curam, in tradendo benignitatem ſubit.„ Hoc ipſum in pr. Cap. ſeq. per *venerari* explicat.

Quandoquidem igitur verbum *Adorare* tam multas ſignificationes habet; id vero ipſum in ſenſu peculiari & emendatiori Chriſtianorum, vel ſolum refertur ad Deum, vel ſaltem referri debet (vid. Matth. IV, 10. Act. X, 25. 26. Apoc. XIX, 10. XXII, 8. 9.): habuit Salaminis in Cypro Epiſcopus S. Epiphanius, cur in eos graviter inveheretur qui *B. Virginem Mariam* putabant *adorandam* eſſe. Etenim cum Adverſus Hæreſes, libro III. Tom. II. hæreſ. 58. ſive 78. pag. 1033. ſeqq. longo ſermone contra eos diſputaſſet, qui non ſatis honorifice de *B. Virgine* ſentiebant, quaſi poſt Salvatorem editum cum viro ſuo Joſepho conſuetudinem habuiſſet, liberosque peperiſſet: Hæreſi 59. ſive 79. pag. 1057. ſeqq. *Collyridianos* refellit & coarguit, id eſt eos, qui à mulierculis quibusdam fanaticis in fraudem illecti, B. Mariæ, tanquam deæ, ſacrificium faciebant, adhibita *collyride*, placentæ genere, aliisque cæremoniis; unde illud cognomen. Sed audiamus ipſum Epiphanium, cujus verba, interprete

Digitized by Google

Dionyſio Petavio, ſunt p. 1061. circa f. ſequentia: „Sanctum erat Mariæ „corpus, fateor: non tamen Deus illa fuit. Eadem & Virgo extitit; mi-„nime tamen nobis ad adorandum propoſita, ſed eum adorans ipſum, „qui è ſua carne genitus, è cœlo ac paterno ſinu deſcenderat. Quare „ſanctum quoque nos Evangelium (Joan. 2.) præmunire voluit, in quo „ita Chriſtus loquitur: *Quid mihi, & tibi mulier? Nondum venit hora mea.* „Ubi iccirco mulierem appellavit: *Quid mihi*, inquit, *& tibi mulier?* ne „quis B. Virginem excellentioris alicujus eſſe naturæ crederet, eoque vo-„cabulo quaſi vaticinans, ad ea ſchiſmata, hæreſesque refutandas uſus eſt, „quas in orbe terrarum olim excitandas cognoverat: nemo ut ſacro-„ſanctæ Virginis vehementiori quadam admiratione permotus ſe ſe ad il-„lius Hæreſis nugas ac deliria converteret.„ Ibid. pag. 1065. lit. *B.* „Ita quamvis Maria vel optima fuerit, ac ſancta, & honore digniſſima, „non iccirco tamen adoratione proſequenda.„ — Denique Epiphanius non amplius jactari vult hæc: „*Coeli Reginam honoramus* (τιμῶμεν τὴν „Βασίλισσαν τȣ̃ ȣ̓ρανȣ̃.)„

Recte igitur in cultu Sanctorum & Reliquiarum ab *Adorationis* vocabulo abſtinuit *Concil. Tridentinum* in Seſſione XXV. ubi poſt principium uno tenore agitur *de invocatione, veneratione, & Reliquiis Sanctorum, & ſacris imaginibus;* veruntamen non ſuſtulit omnem errandi occaſionem, ſi quidem adhibitæ voces *Honor* & *Veneratio* (niſi pro ſingulari *Amore* ſumantur, de quo §. ſeq. & Capite IV. diſſerimus; aut pro *externa reverentia*, ut Geneſ. XXIII, 7. XXXIII, 3. & alibi.) proxime abſint ab *Adoratione*; & vulgo facile fraudi eſſe poſſint, ſi coram rebus inanimatis *caput aperire & procumbere jubeamur.*

Quoniam vero æque in circulis amicorum ſæpe animadverti, atque ex ſcriptis eriſticis collegi, non pauca circa *Reliquiarum cultum* Romanæ eccleſiæ patronis objici, quæ his parcius objicienda judicabunt, qui à fontibus potius haurire, quam rivulos conſectari volent: ad rem plenius cogno-

gnoſcendam in promtu ponemus ipſa *Concilii Tridentini* ſcita, ex editione Romana A. 1564. p. 202. ſeq.

„Mandat ſancta Synodus -- Sanctorum quoque Martyrum, &
„aliorum cum Chriſto uiuentium *ſancta corpora,* quæ uiua membra fue-
„runt Chriſti, & templum Spiritus ſancti, ab ipſo ad æternam uitam ſu-
„ſcitanda, & glorificanda, a fidelibus *ueneranda* eſſe; per quæ multa be-
„neficia a Deo hominibus præſtantur: ita ut affirmantes, *Sanctorum Reli-*
„*quiis uenerationem, atque honorem* non deberi; uel eas, aliaque ſacra mo-
„numenta a fidelibus inutiliter *honorari;* atque eorum opis impetrandæ
„cauſa Sanctorum memorias fruſtra frequentari; omnino damnandos eſſe,
„prout iampridem eos damnauit, & nunc etiam damnat Eccleſia. *Ima-*
„*gines* porro Chriſti, Deiparæ uirginis, & aliorum Sanctorum, in tem-
„plis præſertim habendas, & retinendas; eisq. *debitum honorem, & uene-*
„*rationem* impertiendam; non quod credatur inesse aliqua in iis diuinitas,
„uel virtus, propter quam ſint colendæ; uel quod ab eis ſit aliquid pe-
„tendum; uel quod fiducia in imaginibus ſit figenda; ueluti olim fiebat
„a gentibus, quæ in idolis ſpem ſuam collocabant; ſed quoniam *honos,*
„qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quæ illæ repræſentant *): ita
„ut per imagines, quas oſculamur, & *coram quibus caput aperimus, &*
„*pro-*

*) Laudari hinc ſolent (teſte Bellarmino de Imaginibus ſanctis, Opp. T. II. p. 826.) veteres verſus, Canonum auctoritate probati: *Nam Deus eſt quod imago docet, ſed non Deus ipſa; Hanc videas, ſed mente colas, quod cernis in ipſa.* Veruntamen hic ſæpius fraudi fuerunt, & forſan adhuc ſunt, figuræ illæ grandiloquæ è Rhetorum ſchola petitæ: veluti προσωποποιία, atque μετωνυμία, quibus quædam ſcripta Patrum Eccleſiæ, & vetuſtæ Liturgiæ, exuberant. Huc in primis, ſi exemplum quæras, referenda videtur μετωνυμία eo more & modo, quo continens pro contento, & repræſentans pro repræſentato interdum ſumitur, ut in cantu illo: *o! Crux ave ſpes unica, Auge piis juſtitiam, Reisque dona veniam.* Vid. Bellarminus d. l. p. 832. huc referens Deut. XXXII. in pr. Addatur Iſaias I, 2. XXXIV, 1. Plura habet Gretſerus de S. Cruce, p. 3085. ſeq.

Digitized by Google

„*procumbimus*, Chriſtum adoremus; & Sanctos, quorum illæ ſimilitudi-„nem gerunt, *ueneremur*. id quod Conciliorum, præſertim uero ſecundæ „Nicænæ Synodi, decretis contra imaginum oppugnatores eſt ſancitum.„

§. IV.

Argumentum.

Subtilis & ſpinoſa diſtinctio inter λατρείαν, δουλείαν & ὑπερδουλείαν parum profuit ad illas difficultates tollendas —— Natura duce unum duntaxat *Reliquiarum cultus* fundamentum jacitur, quod eſt vehemens, nec morte extinctus *Amor* erga illum de cujus Reliquiis agitur, cum perſuaſione indubitata, has ipſas Reliquias non eſſe ſuppoſititias, ſed veriſſimas. Hæc ſi abſint, omnis exterior cultus, quocunque modo oſtentetur, vanus & ſimulatus eſt. —— Euſebii teſtimonium de Chriſtianorum Amore in oſſa S. Polycarpi martyris; item præclara Auguſtini monita.

Id quod jam dixi, decreto Concilii Tridentini omnes circa *imaginum & Reliquiarum cultum* difficultates non fuiſſe ſublatas, tot libri eidem oppoſiti, tot illius defenſiones, harumque repetitæ oppugnationes, commonſtrant, ut talium librorum numerum inire tam difficile ſit quam ſupervacaneum. Nec rem magis dilucidam reddidit, quæ paulo poſt forum theologicum calfecit, ſubtilis ac ſpinoſa diſtinctio inter λατρείαν, δουλείαν & ὑπερδουλείαν, à Bellarmino *), aliisque viris ingenio valentibus, varie expoſita: quippe quæ adeo difficiles explicatus habet, ut illis ænigmatibus diſſolvendis ſæpe opus ſit Oedipo conjectore, & interpres egeat interprete. Id ſane omnes novimus, hanc litem eo eventu (quem & alia Religionis capita majoris & minoris momenti habuerunt) fuiſſe diſceptatam, ut neutra pars alteri herbam porrigat, & poſt longas altercationes iterum quæratur iterumque, quæ vero ſimillima ſit ſententia?

Quo ſæpius igitur lites *de Reliquiarum cultu*, ſive veteres ſive recentiores, contemplor & conſidero: eo magis adducor ut credam, illas non

*) De Reliquiis & imaginibus Sanctorum. Operum Tomo II. libro II. cap. 20. p. 825. ſeqq.

Digitized by Google

non ordine juſto, ſed præpoſtero diſceptatas fuiſſe; quippe quæ prius quadam naturæ trutina, quam artificis ſtatera, examinandæ erant. Nihil certe hactenus profuit, nec unquam proderit, *de Reliquiarum cultu* ambitioſe, id eſt cum captionibus dialecticis & acuminis oſtentatione, diſputare, niſi ipſius rei in diſquiſitionem vocatæ idoneum fundamentum jaciatur. Hoc vero collocandum eſſe reor in duabus ab ipſa natura præſcriptis quæſtionibus, iisque rectis & ſimplicibus: quas, cum nuſquam EXPLICITE in medium adferri video, hic proponam ad ipſius naturæ inſtinctum & afflatum; quia (ut egregie obſervat Lucilius apud Ciceronem de Nat. deor. II, 2.) *opinionum commenta delet dies; naturæ judicia confirmat.*

PRIMA igitur QVÆSTIO & princeps eſto: *An quis illum, de cujus Reliquiis agitur* (ſive intima dum viveret amicitia conjunctiſſimum; ſive fama, meritis & omni virtutum genere longe celebratiſſimum) *ſummo adhuc amore complectatur?* breviter, AMET? Nam ignoti, vel leviter cogniti, & nunquam amati, nullus cultus eſt, niſi fictus atque ſimulatus: isque, licet omnibus, qui excogitari poſſunt, modis ſignificetur *), nihil redolet, niſi vel juſſam vel tralatitiam urbanitatem: quæ cum omnibus hiſce, quæ ficte & ſimulate fiunt, mox ad nihilum recidit, atque fumi inſtar evaneſcit. Aliud enim eſt *vere amare & venerari;* aliud in loco & tempore illud medium tenere, quo, ut aliorum offenſionem effugias, nec digito monſtratus vapules, eos quoquo modo imiteris. Ad hoc, niſi à tali loco abeſſe malis, interdum cogi potes: illud ad interiorem ſenſum pertinet, de quo infra ex profeſſo diſputabitur.

SECVNDA QVÆSTIO, nexa cum ſuperiore: *An quis haſce Reliquias pro veris ſincerisque habeat, ſibique de earundem αὐθεντίᾳ ſit perſuaſſiſſimu n?* Quo pacto quantivis pretii eſſe poſſunt, i. e. longe cariſſimæ, ut infra & ratione oſtendetur & exemplis quam plurimis.

Ex

*) Horum multos recenſet Brouërius de Niedek in Diſſert. de Adorationibus cap. 17. ſeq.

Ex hiſce fundamenti loco poſitis effici puto, totum *Reliquiarum cultum* pendere è judicio æſtimatoris, & interiori quodam ſenſu, quo quis erga illas afficitur; rem verbo, ex AMORE, de quo in Capite ſequente dedita opera diſputabimus.

Quoniam vero illa, quam tuemur, ſententia etiam veteribus placuit, audiamus in anteceſſum & quaſi in veſtibulo, quæ Euſebius Eccl. Hiſt. libro IV. cap. 15. p. 135. interprete Valeſio, de Chriſtianis teſtatur, qui, cum igne abſumtus eſſet S. Polycarpus, S. Johannis diſcipulus, Smyrnæorum antiſtes, ejus *oſſa gemmis pretioſiſſimis cariora*, & *quovis auro puriora colligentes, ubi decebat condiderunt*, atque Judæis hanc pietatem calumniantibus hæc regeſſerunt: „*Filium Dei adoramus* (προσκυνοῦμεν); *Martyres* „vero, tanquam diſcipulos & imitatores Domini, *merito amore proſequimur* (ἀγαπῶμεν ἀξίως) ob eximiam ipſorum benevolentiam, quam erga „regem ac magiſtrum ſuum declararunt; quorum nos quoque conſortes „ac condiſcipulos fieri omnibus modis optamus.„ Egregia profecto & „verum amorem ſpirantia. In eadem ſententia eſt S. Auguſtinus de civit. Dei libro I. cap. 13. (Opp. T. IV.) verbis: „Non contemnenda & „abjicienda ſunt corpora defunctorum, maximeque juſtorum atque fide„lium, quibus tanquam organis & vaſis ad omnia bona opera Sanctus „uſus eſt Spiritus. *Si enim paterna veſtis & annulus, ac ſi quid hujusmodi* „*tanto carius eſt poſteris, quanto erga parentes major affectus:* nullo modo „ipſa ſpernenda ſunt corpora, quæ utique multo familiarius & conjun„ctius, quam quælibet indumenta geſtamus . . . Unde & antiquorum „juſtorum funera officioſa pietate curata ſunt, & exequiæ celebratæ, & „ſepultura proviſa: ipſique, dum viverent, de ſepeliendis, vel etiam „transferendis ſuis corporibus filiis mandaverunt *) . . Verum iſtæ „auctoritates non hoc admonent, quod inſit ullus cadaveribus ſenſus, ſed „ad Dei providentiam, cui placent etiam talia pietatis officia, corpora „quo-

*) Provocatur hic ad Joſephi exemplum, de quo jam diximus Cap. 1. §. 3. p. 9.

Digitized by Google

„ quoque mortuorum pertinere ſignificant, propter fidem reſurrectionis „ aſtruendam. „

CAPVT IV.

De Amore, cultus Reliquiarum capite & principio.

§. I.

Argumentum.

Cur in hoc Capite de AMORE ex profeſſo agatur? Deſcriptio Amoris ſecundum Salomonem. —— Definitio *Amoris*, legibus definiendi conſentiens, æque difficilis eſt, ac definitio *Temporis* Auguſtino viſa fuit. —— *Amor* recte dividitur à Dionyſio Areopagita in *quinque genera;* de quorum tertio nobis ſermo eſt, videlicet *de Amore ſpirituali, ſive intellectuali.* —— Leibnitiana Amoris definitio imperfecta eſt. —— Alia ſuppeditatur, hauſta ex notione vel idea *Pulcri* & *Boni.* utriusque vis & poteſtas (præcipue *Pulcri* ex ſententia Maximi Tyrii) enarratur. Ejus effectus inſignis eſt *Gaudium;* cujus comites & ſociæ indivulſæ ſunt: *Verecundia, Reverentia, Benevolentia* & *Charitas.* Singularum explicatio ſubjicitur; quarum poſterior ſacris litteris eſt longe commendatiſſima.

Hæc diſputatio tota pertinet ad AMOREM; ſed nobilem illum, verum, & perfectum; quia, ut paulo ante monitum fuit, nullum alium *Reliquiarum cultum*, niſi ex hoc derivatum, agnoſcimus; dignus igitur eſt, qui peculiari ſtudio conſideretur. Sed quid eſt AMOR? Secundum Salomonem in Cantico, cap. VIII, *6.* & *7.* eſt flamma vehemens, ſive *divina*, cujus vim nec mors nec aquæ exſtinguere poſſunt, nec ullo auro venalis. Vereor autem, ne mihi, *Amorem* generaliter definire volenti, idem accidat, quod B. Auguſtino *), quid eſſet *Tempus?* rogato. Audiamus ipſum: "Quid eſt *Tempus?* Quis hoc facile breviterque explicaverit? „ Quis hoc ad verbum de illo proferendum vel cogitatione comprehen- „ derit?

*) Confeſſionum libro XI. cap. 14. Operum T. 1. p. 82.

„derit? Quid autem familiarius & notius in loquendo commemoramus „quam *Tempus?* Et intelligimus utique cum id loquimur, intelligimus „etiam cum alio loquente id audimus. *Quid eſt ergo Tempus? Si nemo ex* „*me quærat ſcio, ſi quærenti explicare velim, neſcio,*“ &c. Parum profecto abeſt, quin hæc totidem verbis de *Amore* dicenda putem. Vim ejus & effectum ſentimus, & ſubinde videmus; ſed generaliter definire difficillimum eſt: partim quod ejus notio ad ſimplices & primitivas, ſenſu ſolum cognoſcendas, pertinet; partim quod *Amor*, auctore Hierotheó apud Dionyſium Areopagitam *), in *quinque* genera commode dividi poteſt: videlicet in *Amorem divinum* (de quo vid. 1. Joannis Epiſt. cap. IV, 7. ſeqq.); *Angelicum; Spiritualem*, ſeu *intellectualem; Animalem; Naturalem* (τὸν ἔρωτα θεῖον; ἀγγελικὸν; νοερὸν; ψυχικὸν; φυσικὸν): quæ profecto ratione ſubjecti, ut in ſchola loquimur, & objecti à ſe invicem multum diſtare manifeſtum eſt. Exiſtimat tamen Hierotheus, eadem ſub uno genere comprehendi poſſe, per *vim quandam, ſive poteſtatem, copulantem & commiſcentem: ſuperiora quidem moventem ad providentiam inferiorum; ea vero quæ ſunt ejusdem ordinis, ad mutuam communicationem, & noviſſime ea quæ ſunt inferiora, ad convertendum ſe ad præſtantiora & prœpoſita.* Hæc, ut multa S. Dionyſii, ad cujusvis captum non accommodata, longo ſermone explicuerunt Maximinus ſcholiaſtes & Georgius Pachymera paraphraſtes; quibus ſua adjecit Corderius; nec non, qui hanc Dionyſii de Amore doctrinam peculiari doctaque diſſertatione illuſtravit, Nicolaus Cauſſinus in Eloquentia ſacra & humana, p. 380.

Nobis quidem in præſenti ſolum ſermo eſt de *tertio amoris genere*, videlicet *ſpirituali*, ſeu *intellectuali;* quem Leibnitius in Præfatione ad Codicem Juris gentium diplomaticum fol. 3. pagina verſa, in f. ita definivit: *Amare ſive diligere eſt felicitate alterius delectari, vel quod eodem redit, felicitatem aſciſcere in ſuam.* Idem in Epiſtola, præmiſſa M. G. Hanſchii Diatribæ de

*) De divinis nominibus, Cap. IV. §. 15. Operum T. 1. p. 568. ſeq.

de Enthuſiaſmo Platonico, paulo plenius hæc effert: *Amor verus, qui mercenario opponitur, eſt ille mentis affectus, quo ferimur ad delectandum alterius felicitate.* Hac definitione Leibnitius, vir alioquin modeſtus, ſibi tantopere placet, ut de eadem identidem loquatur, exiſtimans per hanc poſſe ſecari litem, circa finem ſæculi XVII. in Anglia (præſertim in Gallia inter Clariſſimos viros Fenelonium & Boſſuetum) ſuper quæſtione agitatam: *an Deus pure, i. e. omni ſpe remunerationis dimiſſa, amari poſſit?* Vel, uti hanc controverſiam Leibnitius in laudata Præfatione proponit: *An Amor non mercenarius detur, qui ſit à ſpe metuque & omni utilitatis reſpectu ſeparatus?* Adde ejus Epiſtolam jam excitatam; item eam quam idcirco ſcripſit ad Burnetium, obviam in Miſcellaneis, ſive Otio Hanoverano, p. 92. ſeq. ubi tamen ipſe vineta ſua quodammodo cædit, deſtruitque quod ædificaverat. Sed hæc alio pertinent.

Quanquam vero iſthæc definitio præclarum quendam Amoris defœcati effectum oſtendit (nam fortaſſis nemo præter Socratem in Phædro *) negat, amantem ſalute amati vehementer lætari, vel ejus, ut Leibnitius ait, felicitate delectari): ipſe tamen *Amor* per hanc definitionem parum declaratur; malim igitur hunc paulo plenius ita definire & deſcribere: *Eſt impulſio, vel vis quædam* **), *qua animus ad Pulcrum & Bonum* (ſive mente, ſive oculorum ſenſu perſpectum cognitumque) *adhæreſcit, ejusque contemplatione magis magisque delectatur, adſpirans ſimul ad ſempiternam cum eodem conjunctionem.* Vel hoc modo: *Amor eſt interior ille & jucun-*

*) Vid. Platonis Opera, p. 1217. lit. *D.* ubi amator amatum omnibus poſſeſſionibus optat exui, parentibus etiam & amicis privari: exiſtimans eadem dulciſſimæ ipſius cum amato conſuetudini impedimento fore; hinc neceſſe eſſe, ut amator, tanquam invidus, amati rebus ſecundis doleat, infeſtis gaudeat. —— Verum hic quædam amabilis inſania Philoſophum ludere videtur.

**) Quod de impulſione vel de vi dicimus, id quidem putamus adeo notum eſſe intelligentibus, ut probatione non egeat. Sed illa duplex eſt: alia *quæ* (ſicut Ci-

jucundus animi ſenſus, quo trahimur & ducimur ad eum in quo tantum Pulchri & Boni perpetim obſervamus, ut ſempiternam cum illo conjunctionem vehementer optemus.

Bonum & *Pulchrum* (ſive verum, ſive opinatum) ad Amoris definitionem pertinere, & in hac alterum ab altero ſecerni non poſſe, ipſe *Amor*, optimus magiſter, indicat edocetque. Si quis tamen *Bonum* & *Pulchrum* ſigillatim conſideret, illud eſt in quo multas virtutes, nobis gratiſſimas, ineſſe credimus; hoc, quod forma eximia (id eſt ſingularum partium apta convenientia) oculos noſtros & mentem ſummopere delectat. Verum hoc ipſum duntaxat eſſe particulam ejus Pulchri, quod anima noſtra ante deſcenſum in corpus jam vidit & amavit, ex ſententia Socratis & Platonis præclare exponit Maximus Tyrius Diſſert. XXVII. ſect. 7. & 8. cujus verba in Latinum ſermonem verſa, etſi compluſcula, hic ponere non piget: "Cum ergo pulchrum oporteat eſſe pulchrum, ut amorem excitet; „quale illud dicemus eſſe, aut quo pacto excitare amorem? Viſne ex „oraculis Socraticis tibi reſpondeam? *Ipſum pulchrum, quod nec humana „voce exprimi, nec oculis conſpici poteſt, vidiſſe olim animam noſtram,* atque „inde in hac vita, non ſecus, quam in ſomnio aliquo, exiguam ejus con„ſervaſſe memoriam, cum vix quaſi per rimam illud nunc intueatur; vel „quod loco, vel quod conditione longe ab eo remota ſit, & à pulcherrimo „illo procul diſtracta ſpeculo, depreſſa in terram, variis diverſisque in„quinata ſordibus, à quibus turbatur; vel quod in hac colluvie vitæque „confuſione ambigua hæreat, in qua nihil præter tumultus aſſiduos im„probitatesque intuetur. At vero *ipſius pulchri natura inde principium „ducit,*

cero Invent. rhet. II. 5. perbene obſervat) *ſine cogitatione per quandam affectionem animi facere aliquid hortatur, ut* AMOR, *iracundia,* &c.: Alia, eaque optimæ notæ, impulſio eſt, quæ demum ex accurata conſideratione pulchri & boni exoritur. Prior tamen ſine dubio frequentiſſima eſt: quippe quæ tam repente & potenter hominum animos occupare ſolet, quam ictus fulmineus ſaxa perrumpit. hinc illud Virgilii Eclog. VIII, 41. *Ut vidi, ut perii.*

Digitized by Google

„*ducit*, inde huc defertur, paulatimque deſcendens minus ſemper minus„que apparet, veramque illam vim ſuam amittit. §. 8. Non aliter, quam „fluvii nobiliſſimi, cum in mare ſe exonerant, primo guſtum aquæ ſuæ „ſine ulla amaritudine retinent, nautisque venientibus purum præbent „potum; poſtquam vero in profundum aliquod pervenerint mare, aquam„que ſuam ventis, fluctibus, marinoque æſtui ferendam dederint, anti„quum guſtum ſuum in confuſione ea amittunt: eodem modo *pulchrum* „*illud ineffabile, illud immortale pulchrum* (τὸ κάλλος τὸ ἄῤῥητον καὶ ἀθάνατον) „primum per cœlum cœleſtiaque corpora deſcendit, in quibus adhuc in„tegrum manet, purum putumque, & nulla ſui parte minus; cum vero, „cœlo relicto, hæc loca verſus incipit deſcendere, perit paulatim & ex„ſtinguitur. Itaque *ſicut fluvium vix amplius agnoſcit in mari nauta mari„nus; ita pulchri ipſius influxum vix ullus homo, cum tenuiſſima ejus in „terra veſtigia appareant, eaque aliis immiſta rebus. At vero, qui fluvium „diu prius cognovit, totamque ejus naturam animo impreſſit, ſimul ac ac„currit illi, ſimul ac vel minimum ejus ſignum videt, non aliter, quam Ulyſſes* „de patriis fumum cum conſpicit oris, *exſultat, gaudio accenditur, ex„hilaratur, amatque.* Hujus pulchritudinis partem aliquam exiguam „fluvius purus, planta florida, equus generoſus, ſibi vindicare poſſunt. „Si quæ tamen ejus ad terram uſque perveniant reliquiæ, *non facile alibi „eas, quam in homine*, qui forma & ratione inter omnia mortalia excellit „corpora, qui anima præditus eſt, quam merito pulchri illius cognatam „dixeris, invenias. Propterea qui ſapit, ſtatuam cum videt, laudat in „ea artem, non tamen amat ſtatuam; & plantam qui videt, laudat in ea „fructum, non tamen amat plantam: & in fluvio tranquillitatem laudat, „non tamen amat fluvium: *in homine vero, cum videt pulchritudinem vi„vam, mente præditam, virtutis futuræ prænunciam, continuo memoriam ſuſci„tat, neque illud, quod videt, ſed revera veriorem longe amat pulchritudinem.*„

Non mirum igitur, ſi *Bonum* illud ac *Pulchrum*, donec præſens & conſpicuum eſt, animum amantis compleat GAVDIO puto, inſatiabili atque

atque ineffabili; de quo, præter ea quæ jam ex Tyrio audivimus, omnino videndus eſt Plato in Phædro, p. 1227. lit. *F.* Veri hujus GAVDII, quod res ſevera eſt, comites & ſociæ indivulſæ ſunt: VERECVNDIA, REVERENTIA, BENEVOLENTIA & CHARITAS; quas recte appelles quatuor ſorores, *quibus facies non omnibus una, Non diverſa tamen, quales decet eſſe ſororum.* Juvat ſingulas breviter luſtrare.

VERECVNDIA. Hæc eſt non ſcripta, ſed ipſius naturæ inſtinctu & afflatu data lex (aut ſi mavis ingenua & amabilis timiditas) qua id acri cura diligentiaque evitamus, quod alterius pudorem, pietatem honoremque lædere poſſit. *Sine hac* (ut Cicero de Offic. I, 41. circa f. bene obſervat) *nihil rectum eſſe poteſt, nihil honeſtum.* Idem in Lælio, ſive de Amicitia, cap. 22. *Maximum ornamentum amicitiæ tollit, qui ex ea tollit Verecundiam.*

REVERENTIA. Hæc quanta ſit in his, qui flagrant Amore defœcato, ediſſerit Plato in Phædro, pag. 1224. Quæ ad mentem ſummi Philoſophi paucis adumbrat ſcientiſſimus ejus interpres Marſilius Ficinus, Commentariorum in Convivium Platonis de Amore, Cap. VI. p. 1142. col. 2. verbis: *Semper accidit, ut amantes amati aſpectum timeant quodammodo atque venerentur.* — *Nempe non humanum eſt, quod eos terret, quod frangit, quod occupat. Humanum enim vis in fortioribus ſapientioribusque ſemper eſt excellentior. ſed divinitatis fulgor ille in formoſis emicans, quaſi Dei ſimulacrum amantes obſtupeſcere, contremiſcere, & venerari compellit.* Huc faciunt illa Maronis de Didone, Æn. IV, 76. *Incipit effari, mediaque in voce reſiſtit.*

BENEVOLENTIA. Egregie Cicero de Fin. bon. & mal. II, 24. edit. Daviſii: *Quid autem eſt Amare, è quo nomen amicitiæ ductum eſt, niſi velle bonis aliquem affici quam maximis, etiamſi ad ſe ex iis nihil redeat.* item de Nat. Deor. libro I, 44. *Carum ipſum verbum eſt* Amoris, *ex quo amicitiæ nomen eſt ductum: quam ſi ad fructum noſtrum referemus, non ad illius commoda quem diligimus, non erit iſta amicitia, ſed mercatura quædam utilita-*

Digitized by Google

utilitatum ſuarum. Prata & arva, & pecudum greges diliguntur iſto modo, quod fructus ex eis capiuntur; hominum caritas & amicitia gratuita eſt. Proinde Amor *non-mercenarius*, ſive *purus* (quem paulo ante attigimus) jam Ciceroni fuit cognitus, qui pluribus de eodem agit in Lælio, ſive de Amic. cap. 8. ſeq. item cap. ult. Eandem ſententiam, quod notatu dignum eſt, tuetur Apoſtolus Paulus in Epiſt. I. ad Corinth. XIII, 5. ubi de Charitate ait: *οὐ ζητεῖ τὰ ἑαυτῆς, non quærit ſua.*

CHARITAS. Græcis Ἀγάπη; cujus neceſſitatem atque excellentiam unus optime expoſuit S. Paulus in Epiſtolà jamjam laudata, quæ ſedes eſt hujus doctrinæ & explicatrix. ibi verſ. 8. multis magni momenti rebus finem prædicit, ſed *Charitatem* pronunciat *æternam;* proinde eam, ut in fine capitis adſtruit, *Fide* & *Spe* majorem. Conf. omnino Epiſtola 1. Joh. cap. IV, 8. & 16. ubi ipſe Deus Ἀγάπη vocatur; atque in hac virtute permanentes cum Deo conjunctiſſimi dicuntur. Egregie igitur Boëthius Conſolat. philos. libro II. in fine, p. m. 47:

O felix hominum genus,
ſi veſtros animos AMOR,
quo cœlum regitur, regat!

§. II.

Argumentum.

Bonum & Pulchrum oculis ſubductum creat *mærorem*, qui tempore quidem minuitur, non autem *Dolor*, qui γλυκύπικρος reſidet in imis medullis. Cauſæ cur hunc ſibi Cicero, amiſſa Tullia, eripi noluit. Dolendi quædam voluptas. Ex hac *Deſiderium* conjunctionis inſtaurandæ, aliæque piæ commotiones, à Cicerone, Catullo, Plinio, in primisque à S. Ambroſio excellenter deſcriptæ. Ad has excitandas permultum conferunt *Loca* ab amicis quondam habitata, (qua occaſione de *Peregrinationibus ſacris* nonnihil ſubjicitur) præcipue vero *Sepulcra* illorum, fruſtra diſſentiente Seneca. —— *Sepulcri communionem* etiam à Sanctis viris concupitam fuiſſe, ſacri Codicis teſtimoniis evincitur. —— Hanc cupiditatem ex animo amovet *Monica*, S. Auguſtini mater, morti proxima, ideo laudata à filio. —— Templa & cœmeteria noſtra abundant exemplis.

Quod ſi *Pulcrum* illud ac *Bonum* oculis ſubducitur, inque cognatum cœlum redit, è veſtigio adeſt ſummus *mœror;* cujus acerbitatem tempus quidem minuit, ſed *Dolor* γλυκύπικρος reſidet. Plane in rem noſtram Cicero ad Atticum XII, 28. *Quod me ipſe per litteras conſolatus ſum* *), *non pœnitet me quantum profecerim. mœrorem minui: dolorem nec potui, nec, ſi poſſem, vellem.* Verum quid eſt quod Cicero *dolorem* ſibi noluit eripi, etiamſi eripi potuiſſet? Uſque adeone in *dolore* quiddam placiti erat? Erat ſane: namque hic occupavit locum demortuæ Tulliæ, *cujus in ſermone* (ut Epiſt. ad Famil. IV, 6. teſtatur) *& ſuavitate omnes curas doloresque deponere ſolebat.* Per hunc dolorem notas audiebat & reddebat voces; per hunc ante oculos erant Tulliæ ſtatus, inceſſus, ſeſſio, accubitio, vultus, & quidquid olim in illa patri gratum acceptumque fuit. Quo factum eſt, ut de fano filiæ erigendo & dies & noctes cogitaret; quod produnt quam plurimæ ad Atticum libro XII. ſcriptæ epiſtolæ: e. g. 18, 19, 35, 36, 41, 43. & multæ aliæ ad fanum illud referendæ. Quamobrem Ciceroni tribuas, quæ Euripides in Tragœdia, quæ inſcribitur *Alceſtis,* de hac ipſa optima femina verſ. 991. ſeq. (edit. Stephani A. 1602. Parte I. p. 662.) refert:

> Φίλα μὲν ὅτ' ἦν γε μεθ' ἡμῶν,
> Φίλα δέ τι καὶ θανοῦσα.
>
> *Erat tum nobis chara quando nobiscum erat,*
> *Etiam adhuc mortua nobis chara eſt.*

Concinit Catullus Epigr. 97. *Quo deſiderio* (i. e. dolore) *veteres renovamus amores; Atque olim miſſas flemus amicitias.* Solide hoc exprimitur in fragmento quodam apud Stobæum, Sermone 254. pag. 840. Ἡ λύπη παρ' οἷς ἂν ἐγγένηται (sic) ...

*) Innuit librum ſuum *de luctu minuendo,* mortua filia, ſcriptum, cujus jacturam ægre moleſteque ferimus.

nutritur & augetur, ibi & libenter & ſuaviter manet. Eſt igitur quædam *dolendi voluptas*, quia (ſecus ac *mœror* omne ſolatium reſpuens) conjunctam & conſociatam habet ſpem bonam, non longinquum fore illum digreſſum & diſceſſum.

Hinc DESIDERIVM illud magnum conjunctionis inſtaurandæ (aurea illa catena cœlum cum terra copulans), quod Cicero in Catone maj. ſive de Senectute, cap. 23. verbis gravibus exprimit & nervoſis: *Efferor ſtudio patres veſtros, quos colui & dilexi, videndi, neque vero eos ſolos convenire aveo, quos ipſe cognovi; ſed illos etiam, de quibus audivi, & legi, & ipſe conſcripſi. Quo quidem me proficiſcentem haud ſane quis facile retraxerit, neque tamquam Peliam recoxerit; & ſiquis deus mihi largiatur, ut ex hac ætate repueriſcam, & in cunis vagiam, valde recuſem: nec vero velim, quaſi decurſo ſpatio, ad carceres à calce revocari.* Paucis interpoſitis ſequuntur aurea illa, ſæpe iterumque repetita, ſed nunquam ſatis laudata verba: *O præclarum diem, cum ad illud divinum animorum concilium cœtumque proficiſcar, cumque ex hac turba & colluvione diſcedam! proficiſcar enim non ad eos ſolum viros, de quibus ante dixi: ſed etiam ad Catonem meum, quo nemo vir melior natus eſt, nemo pietate præſtantior* &c. Adde de amicitia cap. ult. circa f. *Amoris* quoque & *Deſiderii* plena ſunt illa Attici apud Ciceronem de Legibus II, 2. *Movemur neſcio quo pacto locis ipſis, in quibus eorum, quos diligimus aut admiramur, adſunt veſtigia* *). *Me quidem ipſæ illæ noſtræ Athenæ non tam operibus magnificis exquiſitisque antiquorum artibus delectant, quam recordatione ſummorum virorum, ubi quis-*

que

*) Plane in eandem ſententiam Plinius Epiſt. VI, 10. *Quum veniſſem in ſocrus meæ villam Alſienſem, quæ aliquando Rufi Verginii fuit, ipſe mihi locus optimi illius & maximi viri deſiderium non ſine dolore renovavit. Hunc enim incolere ſeceſſum atque etiam ſenectutis ſuæ nidulum vocare conſueverat. Quocunque me contuliſſem, illum animus, illum oculi requirebant.* Itaque non ego auſim hos deridere qui, paribus & forte majoribus cauſſis impulſi, adeunt ſancta *Palæſtinæ* loca, in ſacro Codice ſingulariter commemorata. *Vincit iter durum pietas.*

que habitare, ubi ſedere, ubi diſputare ſit ſolitus; ſtudioſeque eorum etiam SEPVLCRA *contemplor.* Quid? etiam SEPVLCRA? Etiam atque etiam: nihil certe ad bonas animi commotiones excitandas valentius eſt, quam ea interdum loca adire & contemplari, ubi integerrimorum amicorum cinis beatam illam παλιγγενεσίαν (Matth. XIX, 28.) exſpectat, nosque admonet, brevi fore ut eidem ſpei & exſpectationi præſtolemur *). Hoc pacto *Sepulcra* pro lectulis habemus, in quibus amici noſtri, ſocios nos ſuo quemque ordine olim habituri, ad lætificam reſurrectionis auroram quieſcunt. unde loca ſepulturæ ſacra proprie & ſignate appellantur κοιμητήρια, id eſt, *Dormitoria*, & ipſa mors *ſomnus.* Vid. Joh. XI, 11. ſeqq. Matth. IX, 24. Marc. V, 39. I. Theſſ. IV, 13. ſeq. **)

Illud vero *Deſiderium* nemo, quod ſciam, melius ardentiusque expromſit, quam D. Ambroſius, in libro de obitu fratris ſui Satyri (Operum

Sed ad hoc ſuſcipiendum nulla quenquam lex ſcripta cogit. Vid. Joh. IV, 20. ſeqq. Haud deſunt tamen in Novo Inſtrumento teſtimonia de ejusmodi peregrinationibus: e. g. Chriſti & parentum peregrinatio Hieroſolymitana, Luc. II, 42. ſeq. Pauli feſtinatum iter, ut Hieroſolymis diem Pentecoſtes ageret. Act. XX, 16.

*) Alia omnia hortatur & ſuadet Seneca in Conſol. ad Marciam, cap. 25. ab init. ut eam à mœrore, propter obitum filii jam in tertium annum durante, qualicunque ratione avocaret. Verba (etiam notabilia ob adjunctam doctrinam *de purgatione & expiatione animarum poſt mortem*) ſunt quæ ſequuntur: *Proinde non eſt quod ad ſepulcrum filii tui curras. peſſima ejus, & ipſi moleſtiſſima iſtic jacent, oſſa cineresque: non magis illius partes, quam veſtes, aliaque tegumenta corporum. Integer ille, nihilque in terris relinquens, fugit, & totus exceſſit: paullumque ſupra nos commoratus, dum expurgatur, & inhærentia vitia ſitumque omnis mortalis ævi excutit, deinde ad excelſa ſublatus, inter felices currit animas, excipitque illum cœtus ſacer, Scipiones, Catonesque, utique contemptores vitæ & mortis beneficio liberi.* Sed bonus Seneca hanc operam, opinor, fruſtra ſumſit, & ſurdæ feminæ fabulam narravit, quia tempori & ſcenæ, ut dicitur, ſervire videbatur.

**) Quamvis hæc effata tanti ſunt momenti & præponderant, ut aliis teſtimoniis ſuperſedere liceat: nonnihil tamen ſuavitatis & delectationis habet, quod Callima-

rum T. IV. p. 319. ſeq.) Mellitiſſima verba ſic profluunt: *Teneo igitur te, frater, nec mihi te aut mors aut tempus avellet. Ipſæ dulces lacrymæ ſunt, ipſi fletus jucundi, quibus reſtinguitur ardor animi, & quaſi relaxatus evaporat affectus. Neque enim ſine te eſſe poſſum, aut tui non meminiſſe unquam, aut meminiſſe ſine lacrymis -- Para hoſpiti conſortium, & quemadmodum hic nobis omnia fuere communia: ita illic quoque jus dividuum neſciamus. Ne, quæſo, cupientem tui deſeras, properantem exſpecta, feſtinantem adjuva, & ſi diutius tibi morari videor, accerſe. Neque enim prolixius abfuimus à nobis; tu tamen ſolebas reviſere. Nunc quoniam tu redire jam non potes, nos ad te ibimus: æquum eſt, ut officium rependamus, ſubeamus vicem.*

Nolim quis exiſtimet, hæc quæ protulimus teſtimonia, tantum jucundis vigilantium ſomniis adponenda eſſe, quibus aliquamdiu delectemur, ſed quæ diuturnum ſuavitatis ſenſum non relinquunt. Etenim probe tenendum eſt, ſanctum illud inſtaurandæ conjunctionis *Deſiderium* non ſolum ab Apoſtolo Paulo in diverſis locis (velut II. ad Corinth. I, 13, 14. ibid. IV, 14. ad Philipp. I, 23. & I. ad Theſſ. IV, 17. 18.) ſignificari & aperte oſtendi; ſed hoc quoque ab ipſo Servatore apud Joh. XVII, 21. ſeqq. declarari. Tametſi vero hæcce teſtimonia proprie loquuntur de deſiderata & exſpectanda in cœlis ſanctarum animarum conſortione: tamen *Sepulcri* etiam & *Reliquiarum communionem* magnopere concupitam fuiſſe à viris ſapientibus & θεόπνευστοις, plus uno teſtimonio liquet. Quanta cura & providentia Abrahamus (*ὁ πατὴρ πολλῶν ἐθνῶν καὶ πάντων τῶν πιστευόντων*, Ep. ad Rom. IV, 11, 17. 18.) circumſpexerit ſibique paraverit here-

machus Epigr. X. (edit. Grævii p. 192.) deceſſum Saonis, boni viri, non pro *morte*, ſed *ſancto ſomno* habendum affirmat, verbis:

—— —— —— ἱερὸν ὕπνον
κοιμᾶται; θνήσκειν μὴ λέγε τοὺς ἀγαθούς.
ſanctum ſomnum Dormit; mori non dic bonos.

Repetuntur hæc in extremo lapidis Græci, memoriæ Popiliæ dicati, apud Reineſium in Synt. Inſcr. antiqq. in Append. p. 1030. N. 43.

hereditarium ſepulcrum, quo conderet uxorem Saram, fuſe lateque narratur Genes. cap. XXIII. ipſe tandem, ut optaverat, ad ejus *latus & reliquias* depoſitus. Genes. XXV. verſ. 9. & 10. habuitque volventibus annis de poſteris ſuis, quos ſacer Codex diſerte memorat, *conditorii & tumuli ſocios* Iſaacum, Jacobum, horumque uxores Rebeccam & Leam. Vid. Genes. cap. XXXV. verſ. ult. cap. XLIX. verſ. 30. ſeqq. Cap. L. verſ. 13. Hocce κοιμητήριον adeo carum erat ſanctumque Jacobo, ut Joſephum filium jurejurando adegerit, ne ſe mortuum in Ægypto relinqueret, ſed *patrio ſepulcro* inferret. Vid. Gen. cap. XLVII, 29, ſeqq. & excitatum jam Cap. L. Ex hiſce exemplis ſatis perſpicitur, optimos etiam & ſapientiſſimos viros in populo Dei ſtudioſe diligenterque curaſſe, ut ſibi cum hiſce, quos in hacce vitæ ſingulari amore dilexerant, *commune ſepulcrum* eſſet, atque in eodem *Amor* ſervaretur. Alia hujuſcemodi conjunctionis exempla ſuppeditant *Ruth*, cap. 1. verſ. 17. *Judith* cap. ult. verſ. 28. *Tobias* Cap. IV, 5. & XIV, 12.

De tali conſortione (ut ex recentiori hiſtoria aliquid ſubtexam) aliquando etiam ſolicita erat & angebatur *Monica*, D. Auguſtini mater; ſed morti proximam hæc cura non amplius tetigit, ſicut ipſe filius refert Confeſſ. libro IX. cap. XI. (Operum T. 1. p. 68.) verbis: Licet *illa magna cura ſemper æſtuaſſet de ſepulcro, quod ſibi providerat & præparaverat juxta corpus viri ſui. quia enim valde concorditer vixerant, id etiam volebat, ut eſt animus humanus minus capax divinorum, adjungi ad illam felicitatem, & commemorari ab hominibus, conceſſum ſibi eſſe poſt transmarinam peregrinationem* (ex Africa), *ut conjuncta terra amborum conjugum terra tegeretur:* tamen quum in ſolo peregrino (ad Oſtia Tiberina) apud filios degens, mortem ſibi ex proximo imminere ſentiret, à propoſito deſtitit; *quærentibusque utrum non formidaret tam longe à ſua civitate corpus relinquere? nihil, inquit, longe eſt Deo, neque timendum eſt ne ille non agnoſcat in fine ſeculi, unde me reſuſcitet.* Quam fortitudinem animi merito laudat, Deique bonitati adſcribit Auguſtinus: haud tamen, puto, reprehenſurus erat matrem,

trem, ſi in priori voto permanſiſſet, quamvis hoc *inanitatem* appellet, tunc immemor, ut videtur, exemplorum jam commemoratorum; quibusque poſt Auguſtini tempora tot acceſſiones factæ ſunt, & adhuc fiunt, ut illis templa & cœmeteria abundent.

§. III.

Argumentum.

Ex ſancto illo *Deſiderio* etiam oritur *prolixus ille affectus erga Reliquias*, vim magneticam habentes. Hujuſce modi συμπάθειαν Seneca vocat *admonitionem dilecti corporis*, putatque ejus evitatione *Amorem* exui poſſe. quo demum caſu hoc fieri poſſit? Differunt inter ſe *amare* & *diligere*. Verbum *Amare*, Deo dignum, male detruſum eſt ad res vitioſas appetitus ſenſitivi quæ, ſi curate loqui velimus, non *amantur*, ſed *cupiuntur*: immo in ipſas *Reliquias*, ab optimo amico profectas, non alius cadit *Amor*, niſi ſe referens & convertens ad eum, qui per has in memoriam revocatur & quaſi præſens ſiſtitur. —— Quando illa affectio vel minuitur, vel funditus perit? —— Auguſti pietas in Alexandri Magni, non itidem Ptolemæi, reliquias. —— *Reliquiæ hominum exſecrandorum & deteſtabilium*, ſed materia vel artificio præſtantes, magno in pretio, & dignæ quæ Regum gazis adponantur, deputari poſſunt, ſed ſine ulla *charitate*. —— Quatenus *Amor in Reliquias* progredi debeat, relinquendum eſt hominis ſana mente prædíti judicio. Non ſpernenda hanc in rem admonitio B. Auguſtini.

Quoniam vero ad renovandam illam interiorem ſocietatem non niſi per mortem ſerius vel ocius venitur: quærit interim vitæ ſuperſtes amicus, quo ſe conſoletur; imo quo ſe non nunquam efferri & quaſi πτερῶσθαι ſentiat. Occaſionem ad hoc facile ſufficiunt *Reliquiæ*, res inanimatæ quidem & mutæ, dulces tamen exuviæ & cara pignora menti defixæ in priſtini amoris cogitatione; quæque ideo, magnetis inſtar ferrum ad ſe allicientis & attrahentis, amantem cum amato mirabili nexu conjungunt. Hæc συμπάθεια à Seneca in Epiſtola LXIX. vocatur *admonitio dilecti corporis;* & tanta ipſi videtur, ut ejus evitatione vel ipſum *Amorem* depelli & extingui poſſe exiſtimet; ita enim ibidem ſcribit: *Quemadmodum ei, qui*

qui amorem exurere *) *conatur, evitanda eſt omnis admonitio dilecti corporis; nihil enim facilius quam amor recrudeſcit: ita qui deponere vult deſideria rerum omnium, quarum cupiditate flagravit, & oculos & aures ab his quæ reliquit, avertat. Cito rebellat affectus. quocumque ſe verterit, pretium aliquod præſens occupationis ſuæ adſpiciet.* Vincat Seneca ut vult, ſi de *Amore* loquatur non nimis altis radicibus defixo, id eſt vago quodam & deſultorio, qui ſuperveniente novo facilius ejicitur, quam clavus clavo extruditur. Conf. Cicero Tuſc. diſp. IV, 35. Quo etiam referas illa Lucretii de rer. nat. libro IV, 1057.

Sed fugitare decet ſimulacra, & pabula Amoris
Abſterrere ſibi, atque alio convertere mentem.

Piget plura adſcribere, quæ, ſicut iſthæc Lucretii, de exſtinguendo, vel potius commutando cum alio *Amore impuro* agunt, ſed neutiquam confundenda cum *Amore* illo *vero* & *nobili*, de quo jam diſputamus. Is vero ſi totum hominem occupavit, nulla furca expellitur, aut quacunque alia vi labefactatur, niſi ſe deluſum ſentiat; de quo verſus finem hujus §.

Omnino autem animadvertamus, non unum eſſe atque idem, ſi dicamur aliquid *amare*, vel *diligere*. Illud Cicero ad Brutum Epiſt. I. in pr. dicit ἐμφατικώτερον; quare Epiſt. ad Fam. IX, 14. ad Dolabellam: *Quis erat, qui putaret ad eum amorem, quem erga te habebam, poſſe aliquid accedere? tantum acceſſit, ut mihi nunc denique amare videar, antea dilexiſſe.* Utinam vero verbum tam auguſtum, ſanctum, & Deo dignum, (ut in fine §. I. hujus Cap. oſtendimus) nunquam detruſum fuiſſet ad res vitioſas appetitus ſenſitivi, id eſt, eas quæ conſumta voluptate multo majus faſtidium gignunt, *ſicut ebrietas* (monente Seneca in Epiſt. 59. circa f.) *unius horæ hilarem inſaniam longi temporis tædio penſat.* Hujusmodi res, ſi curate loqui velimus, *cupiuntur*, non *amantur*; quod ſcite, ut multa, animadvertit

*) An forte: *exuere*? Sed vulgatam lectionem erudite defendit Daviſius ad Cic. de Nat. deor. III, 3. p. 298.

Digitized by Google

vertit Afranius apud Nonium Marcellum de proprietate ſermonum, p. m. 448. *Amabit ſapiens, cupient cæteri.* Conſonat Seneca in Epiſt. 81. p. m. 471. *ſolus ſapiens ſcit amare, ſolus ſapiens amicus eſt.* Conf. Maximus Tyrius Diſſert. XXVII. ſect. 4. in pr. Id quidem quod amamus, ſemper diligimus, ſed neutiquam modo inverſo. Sexcenta, quæ civilibus acquirendi modis noſtra fiunt, nobis cara eſſe poſſunt atque jucunda, quatenus hæc vel ad uſum vitæ, vel ad oblectationem, neceſſaria habemus: tamen iſthæc non dicuntur *amari,* ſed quadantenus *diligi,* quia *delecta.* quid? quod in ea ipſa, quæ à parentibus, uxore, ſponſa, amico conjunctiſſimo, nobis, ſingularis facti vel memoriæ cauſſa, *relicta* ſunt, non cadit alius *Amor*, niſi ſe referens ad eum, qui per illa in memoriam revocatur & quaſi præſens ſiſtitur. Licet igitur hujusmodi *Reliquiæ* non ſine magna commotione aſpiciantur, imo etiam cum lacrymis ſubinde & oſculis tractentur: hæ tamen proprie vereque non amantur, ſed per illas & in illis ſolus amatur atque colitur, qui triſte magnumque ſui nobis reliquit deſiderium; hinc illæ duntaxat (quod id ex Seneca audivimus) *admonitionem dilecti corporis* ſufficiunt. Nam ſimulac de earundem αὐθεντίᾳ animo noſtro vel levis injicitur ſcrupulus & dubitatio: (an e. g. annulus ad eum, quo nobis gratior erat nemo, pertinuerit?) illico de ejus pretio multum imminuitur: quod ſi iſte ſcrupulus ex animo non evellatur; vel denique comperiamus, nos in fraudem deductos fuiſſe: habebimus illud κειμήλιον, cui nihil par nihil ſecundum erat, eo loco quo orichalcum pro auro, aut vitrum pro gemma nobis venditum; immo forte quo heſternum & frigidum ἐλλύχνιον.

Quæ cum ita ſint, ſatis liquet, *Amorem & cultum Reliquiarum* ſtare vel cadere judicio, quod de hoc formamus, à quo illas profectas vel ſcimus, vel toti credimus. En è multis illuſtre exemplum: Auguſtus (teſte Suetonio in vita ejus cap. 18.) *conditorium & corpus Magni Alexandri, cum prolatum è penetrali ſubjeciſſet oculis, corona aurea impoſita ac floribus aſperſis veneratus eſt.* Huncce honorem non habebat Ptolemæo; etenim

H con-

conſultus, ut Suetonius pergit, *num & hunc inſpicere vellet?* acute reſpondit: *Regem ſe voluiſſe videre, non mortuos.* quorum ſenſus eſt (quod Cl. vir I. A. Erneſti in animadvers. ad h. l. recte obſervat): *ſe voluiſſe videre Alexandrum, qui unus dignus eſſet regis nomine, non quoscunque mortuos.* Fingamus hoc pacto, ex Herculani urbis parietinis oſtendi nobis rem, quæ Tarquinio Superbo, Tiberio, Caligulæ, Neroni, vel cuilibet alii exſecrando & deteſtabili tyranno, vel auguſtæ meretrici, in uſu fuerit; atque eandem vel materia vel arte elaborata excellere: nihil ſane vetat, quo minus illam admiremur & favillis Regiis dignam judicemus; ſed qui talis rei memoriam cum caritate aliqua benevola uſurpet, non puto quempiam fore, aut eſſe poſſe.

Hiſce poſitis forſan quis quæret, quatenus *Amor in Reliquias* progredi debeat; vel quanto demum affectu has proſequi liceat? Ariſtoteles de hoc interrogandus fortaſſe reſpondiſſet, *hanc eſſe quæſtionem non-amantis*, quemadmodum reſpondiſſe fertur quærenti: cur quæ pulchra ſunt amarentur? *hæc eſt interrogatio cæci*, τυφλȣ̃ ἡ ἐρώτησις. *) Accedit, quod non Amori lex dari, ſed ab eodem ferri ſolet; id quod Boëthius, occaſione Orphei, Eurydicen ex lege data minus caute reducentis, **) quam elegantiſſime ſic exprimit:

Quis legem det amantibus?
Major lex Amor eſt ſibi.

Nec minus concinne Plinius, licet alio reſpectu, Paneg. cap. 85. *Neque enim, ut alia ſubjectis, ita Amor imperatur: neque eſt ullus affectus tam erectus & liber, & dominationis impatiens.*

Verum tamen non negligenda ſunt pia Auguſtini monita in Expoſit. epiſtolæ B. Johannis, Tractatu 2. (Operum T. IX. pag. 242. *D.* 1.) ubi præ-

*) Vid. Stobæus Serm. CLIX. de laude pulchritudinis, pag. 563.

**) Conſol. Phil. libro 3. circa f. p. m. 85.

Digitized by Google

præcipit, omni modo cavendum eſſe, ne ille Amor in ſtultitiam & impietatem degeneret, verbis: *Non te prohibet Deus amare iſta* *), *ſed non diligere ad beatitudinem: ſed ad hoc probare & laudare, ut ames creatorem. Quemadmodum ſi ſponſus faceret ſponſæ ſuæ annulum, & illa acceptum annulum plus diligeret quam ſponſum qui illi fecit annulum: nonne in ipſo dono ſponſi adultera anima deprehenderetur; quamvis hoc amaret quod dedit ſponſus?* &c. Ex noſtra quidem ſententia omne illud cujusque hominis ſana mente præditi judicio propterea relinquendum eſt, quod Amor ad animum totus pertinet, hique incaſſum laborant, qui eidem nimis arctos limites obtrudere conantur, ſua ſponte venienti, ſua ſponte, mentis caligine depulſa, abeunti, ut paulo ante vidimus, & poſt magis intelligitur.

*) Loquitur Auguſtinus generatim de rebus creatis & terrenis.

CAPVT V.

De omnis generis atque ævi exemplis, Amorem in Reliquias (item in picturas & ſtatuas) Amicorum teſtificantibus.

§. I.

Argumentum.

Cujnsvis generis & ævi exemplis probatur, *naturalem eſſe Amorem in Reliquias;* nec referre, ex qua materia ſint illæ; etiam in ſpeciem viles quantivis pretii eſſe poſſe: quales e. g. ſunt fragmenta *arcæ Noachicæ,* & *navis Argonautarum; Epicteti lucerna;* item *baculus Cynici Protei.* —— Non coarguendus eſt omnis error mentis: qui minimo urgetur, ſapientiſſimus habeatur. —— *Franciſci Petrarchæ abacus, ſedile,* & *felis ſceleton,* Arquati conſervantur.

Quoniam vero hæc, quæ ſupra diſſeruimus, videri poſſint vel non ſatis clara, vel, ſine expoſitione exemplorum, lentius diſputata: nunc in medium adducere delectamur exempla tam ſacra quam profana; æque vetuſtiſſima ac recentiſſima: quæ ad unum omnia evincent, totius Reliquiarum cultus fundamentum fuiſſe poſitum in illo affectuum optimo maximo

AMORE. Ut vero prope manu tentari poſſit, quam naturalis ſit ille, rogamus in limine hos, qui omnem humanitatem non abjecerunt, quanti rem quandam, vel ab alterutro parentum, vel ab amico conjunctiſſimo, vel à conjuge, vel à ſponſa eſſlictim amata, amantiſſimis verbis, pro ſuprema amoris & memoriæ teſſera traditam, aliove modo relictam, quanti, inquam, iſtiusmodi rem, qualiscunque ea demum ſit, æſtiment? Aut (ſi forte hæc πάθος, i. e. motum animi nimium, rationi non perfecte obtemperantem, ſpirare videantur) quo in numero putent *Reliquias*, e. c. αὐτόγραφον, pugillares, vel ſimile quid viri cujusdam, ſive de re publica, ſacra, re litteraria, ſive de arte quadam præclare meriti & omnium ſæculorum memoria digni? Quod ſi forte nonnulli adeo feri ſint ac ferrei, ut horum talium nullo ſenſu afficiantur, hos, ne quid gravius dicam, ex illorum indole aliquid hauſiſſe putabo, de quibus ſupra Cap. II. §. 1. circa finem dixi.

Facile autem intelligitur, hic non quæri, an *Reliquiæ* ſint ex auro, argento, ebore, vel lapidibus pretioſis (licet in hujusmodi rebus, partim reſpectu artificis, partim materiæ, certum quoddam pretium & perpetuum adhæreat); verùm hoc unice quæri, an ejus amici fuiſſe conſtet, vel credatur, cui tribuuntur: etiam res in ſpeciem viles, exiguique vel nullius momenti. Nam *non minor* (recte inquit ille apud Ciceronem de Fin. II, 28.) *voluptas percipitur ex viliſſimis rebus, quam ex pretioſiſſimis.* Hoc autem pacto fieri poteſt, & quam ſæpiſſime contingit, ut res, quam alii immenſo pretio redimant, aliis projecta vilior alga videatur. Igitur dixit quod res eſt Lucianus Epigr. 1. (ad calcem Operum) in ſuum ipſius librum:

> Οὐδὲν ἐν ἀνθρώποισι διακριδὸν ἐστι νόημα.
> 'Αλλ' ὃ σὺ θαυμάζεις, τοῦθ' ἑτέροισι γέλως.

i. e. interprete Jacobo Micyllo:

> *Nil homini certum eſt, nec voto vivitur uno:*
> *Sed ridens, eadem hic elevat, ille probat.*

Sic

Sic (ut prætercam, quæ de *arcæ* ſive *navis Noachicæ* reliquiis apud Armenios in Cordyæorum monte referuntur, *) fragmento *navis Argonautarum* is Romæ, Martialis tempore, honor ſervabatur, qui major eſſe non poterat, ſi tota navis ætatem tuliſſet; ita enim ille Epigr. VII, 18.

Fragmentum, quod vile putas & inutile lignum,
Hæc fuit ignoti prima carina maris.
Quam nec Cyaneæ quondam potuere ruinæ
Frangere, nec Scythici triſtior ira freti,
Sæcula vicerunt. Sed quamvis ceſſerit annis,
Sanctior eſt ſalva parva tabella rate.

Sic fuit qui, teſte Luciano **) *Epicteti Stoici lychnum fictilem,* tribus forſan obolis emtum, *tribus drachmarum millibus ſibi comparavit.* Alius (ut pariter Lucianus c. l. refert) baculum, quem *Cynicus Proteus,* in ignem ſe præcipitaturus, depoſuerat, talento emit; atque hunc pro re pretioſiſſima habens oſtentavit, non ſecus ac Tegeatæ exuvias Calydonii apri, Thebani oſſa Geryonis, & Memphitæ crines intortos, ſive cincinnos Iſidis. Utrumque emtorem more ſuo ridet Lucianus: priorem, quia forte ſperabat fore ut, ſi noctu ad iſtam lucernam legeret, ilico Epicteti ſapientia ad ſe veniret per quietem, ſimiliſque admirando illi ſeni evaderet: Baculi emtorem per latus ejus, ad quem iſthæc ſcribit Lucianus, ita ferit, ut ambo digni viderentur, quorum capitibus ille Cynici baculus impingatur. Ego vero non uterer hac philoſophia: utriusque animum expleri ſiviſſem jucundi erroris voluptate: utrique ſtultitiam, quam opes patiebantur, condonaſ-

*) Vid. Fl. Joſephus Antiqq. Judaic. libro 1. cap. 3. §. 5. in f. & §. 6. ubi hanc in rem excitantur Beroſus Chaldæus, Hieronymus Ægyptius, Mnaſea & Nicolaus Damaſcenus. Adde quæ de iisdem reliquiis, ut ſua ætate adhuc exſtantibus, memorat Epiphanius adverſus Hæreſes, Hæres V. ord. XVIII. Operum vol. 1. p. 39.

**) in libello περὶ ἀπαιδεύτου, ſive adverſus indoctum; Operum T. II. edit. Grævii p. 386. vel in edit. Geſneri & Reitzii p. 111.

donaſſem: nemo enim mortalium omnis ſtultitiæ expers eſt: is ſapientiſſimus rite habeatur, qui minima urgetur. Proinde nolim quis illudat illuſtri genti Gabrieliæ inter Patavinas, quæ in vico Arquati, ut teſtatur Sertorius Urſatus in Monumentis Patavinis libro I. ſect. V. p. 191., *Franciſci Petrarchæ abacum*, *ſedile*, immo ejus *felem* ſummo ſtudio ſervabat. „Ita enim ille: Inter bona hujus familiæ merito recenſenda venit domus „illa, quam poſſidet in Vico Arquati, olim *Franciſci Petrarchæ* ſeculo „turbulentiſſimo illuſtriſſimi viri, in qua etiam *abacus*, *ſedile*, & *felis*, „*qua ipſe delectabatur*, *ſceleton accurate conſervatur*. Vbi diligentia & ſtu„dium *Floriſpinæ Doctæ* M. Antonii proxime defuncti viduæ, morum „probitate aliisque animi dotibus eximiæ, *erga hoc animalculum non ſunt* „*ſilenda. Ne enim à curioſis ſpectatoribus deſtruatur*, *id intra capſulam e* „*laminis cryſtallinis concinnatam condidit*, *ut commode illud intueri*, *minime* „*autem contrectare liceat.*„

§. II.

Argumentum.

Non aliter nunc atque olim de Reliquiis ſentiri, evincitur quibusdam *Leibnitii Reliquiis* in Bibliotheca Regia Hanoverana obviis; notata tamen quorundam vanitate circa eaſdem. —— De *M. Lutheri cochleari*, ibidem olim aſſervato, ſed XVIII. abhinc annis repetito. —— De aliis *Lutheri Reliquiis* exſtat libellus G. H. Gœtzii, in quo varia occurrunt, quæ enthuſiaſmi & ſuperſtitionis notam effugere non poſſunt. Ciceronis obſervatio *de ſuperſtitione* fere univerſa nondum exolevit.

Si qui autem forte putabant, tempora illa, quæ navis Noachicæ & Argonautarum fragmentis, Epicteti lucernæ, baculo Cynici, Petrarchæ utenſilibus, & ſexcentis rebus geminis tantum pretii ſtatuebant, nunc adeo quidem præteriiſſe, ut talia nemini nec grata amplius nec admirabilia videantur: hos valde errare apparebit ex aliquot exemplis, quæ non fama & auditione, ſed oculis meis comperta habeo. Superat in Bibliotheca Regia, quæ Hanoveræ eſt, ſella quædam corio aurato & variegato contecta,

Digitized by Google

tecta, in qua *Leibnitius* ſtudiis operam dediſſe, atque in ea A. ſæculi XVI. a. d. 14. Novembr. ſero veſpere, Barclaii Argenidem legens, repentina morte exſtinctus dicitur. Incredibile eſt, quam multi ſæpe numero ex locis longinquis & diverſis huc accedentes viri docti cujusvis dignationis, feminæ etiam primariæ, in iſta ſede, quamvis jam ruinæ vicina, aliquamdiu ſedere & morari geſtiant. Inter illos aliquando erat vir Romanis ſacris addictus, multa doctrina, multo rerum uſu: qui, cum paulo diutius, quam temporum meorum ratio patiebatur, iſtam ſedem occuparet, atque ideo animi voluptatem & vultu & ore proderet, à me monebatur, fama magis quam certo modo conſtare, hanc fuiſſe ſellam Magni Leibnitii. Ad quæ ille: "Hoc mea jam parum refert; fruor interim hujus opinionis „jucunditate: non veneror ſellam, ſed, qui in ea requieviſſe dicitur, Leib„nitium; quo ipſo nomine recreor, cujusque reſpectu mihi gratum eſt, „quidquid illi tribuitur. Sic nos Catholici Reliquias Sanctorum colimus, „tametſi mathematico modo oſtendi nequit, eas eſſe ipſas quæ dicuntur."

Sed ſunt etiam qui, ſolo ſedis aſpectu contenti, à me unice petunt, ut, poſthabitis librorum forulis, depromam ſchedas *manu Leibnitii* ſcriptas. Memini inter illos exſtitiſſe, qui merito dolebant, non unis magni momenti ſcriptis τȣ̃ μακαρίτȣ deeſſe ultimam manum: memini etiam adfuiſſe, qui unam alteramve Leibnitii ſchedulam ex vaſta congerie fortuito depromtam (quamvis nihil reconditi & abſtruſi, ſed communia & contrita contineret, imo forſan calami à ſcalpro recentis temperandi cauſſa inſcripta erat) hujusmodi ſchedulam oſculabantur, oculisque devorabant, tanquam rem ſanctam, auguſtam & religioſam; hoc autem ipſo dubitandi rationem injiciebant: utrum talis actio ex ſummi *Amoris* impetu proſiliret, an potius ex cujusdam *decori* ſtudio proficiſceretur, cum nemo non, cui Leibnitii nomen ad aures pervenit, cupiat videri doctus & intelligens tanti viri exiſtimator. — Pari in Leibnitii *Reliquias litterarias* amore, ne dicam furore, incenſum pectus geſtat, vel ſaltem prætendit *Dominus de Murr*, Norimbergenſis, in Diario, cujus frons eſt: *Journal zur Kunſt-*

ge-

Digitized by Google

geſchichte und zur allgemeinen Litteratur, Tomo IV. p. 194. ſeqq. ubi in me & alios, quos in illarum adeptione ſibi parum faventes compererat, juſto liberius invehitur, & tela ſua qualiacunque vibrat; producens præterea Tomo VI. p. 248. ſeqq. Celeb. *Halleri* (quem conciliatorem fore fruſtra ſperaverat) litteras, quæ ipſæ ſatis produnt, ſcriptori fuiſſe quodammodo extortas, certe, quæ ederentur, nequaquam ſcriptas. Jure igitur reprehenſus in Bibliotheca Berolinenſi (*allgemeine deutſche Bibliothec*) volumine XXXVII. P. II. p. 625. Ego vero omnia adverſus me dicta Clariſſimo Murrio non ſolum remitto atque condono, quia ipſe hæc Tomo VII. p. 130. per παλινῳδίαν evertit, ſed propterea quod hujusmodi ardori, niſi fictus ſit & commentitius, permultum eſſe ignoſcendum, jam p. 61. ſeq. monuimus, & infra dicemus.

En aliud magni in Reliquias Amoris exemplum. Servabatur in eadem Bibliotheca Regia, cum ejus curam A. MDCCLXII. ſuſciperem, ex donatione privata viri cujusdam eximii anno ſæc. LII. facta, parvum *cochlear argenteum*, extrinſecus inauratum, quod *M. Lutherus* olim poſſediſſe dicebatur, & vix aut ne vix numi aurei, quem *Ducatum* appellamus, valorem æquabat. Verum hanc donationem, tanquam injuſtam & vitioſam, A. LXIV. irritam infectamque fecerunt agnati donatoris, cum poſt hujus obitum in libello ſupplice copioſe & abundanter probaſſent, illud cochlear eſſe fideicommiſſum familiæ, cuſtodiendum quidem ab ejus ſeniore, qualis utique fuerat iſte donator, non vero clandeſtina donatione amovendum. Adſtruebant præterea, Magnum quendam Principem idem cochlear partim prece, partim immani & propemodum incredibili pretio, olim mercari voluiſſe; tamen Attalicis hiſce & invidendis conditionibus cuſtodem cochlearis haud dimotum fuiſſe, ut hoc à majoribus traditum pignus venderet atque alienaret. Hiſce & aliis de cauſſis petitores jus ſuum facile obtinuerunt, horumque procurator rem à me redditam lætus ovansque reportavit.

Qui

Digitized by Google

Qui alia Lutheri λείψανα: velut annulum, vitra, libros, epiſtolas, (quarum duas etiam habet Bibliotheca Hanoverana) ceteraque noſſe volet, conſulat libellum Lipſiæ 1703. in 4. editum inſcriptumque: *Georgii Henrici Goetzii, D. Superintend. Lubecenſis, de Reliquiis Lutheri, diverſis in locis aſſervatis, ſingularia.* Provide quidem monet Auctor p. 32. iſtas Lutheri reliquias non cultus ſeu religioſæ adorationis, ſed memoriæ conſervandæ cauſſa, aſſervari: nihiloſecius varia hanc in rem exempla (p. 9. 13. ſeq. & p. 20.) producuntur, quæ apud rigidos ſapientiæ ſatellites ſuperſtitionis notam non effugient, & probare poſſunt, tam Iliacos intra muros peccari quam extra; quin hodieque adhuc verum eſſe, quod Cicero de Divinat. II, 72. in pr. obſervat: *Ut vere loquamur, ſuperſtitio fuſa per gentes, oppreſſit omnium fere animos, atque hominum imbecillitatem occupavit.* Sed quis non ferat hæc æquo animo? cum ſuus cuique guſtus, ſuum cuique judicium eſt; cum ſua quemque voluptas trahit, traherque,

Dum juga montis aper, fluvios dum piſcis amabit,
Dumque thymo paſcentur apes, dum rore cicadæ.

§. III.

Argumentum.

Reditus ad antiquiſſima exempla. *Mycerini*, Regis Ægypti, inſignis cura ſartas tectas ſervandi & honorandi reliquias filiæ ſuæ, ſobolis unicæ. —— *Charites* amor in imaginem mariti vita defuncti. —— *Liviæ* ſimilis amor erga infantem raptum. —— Excitatur *Liber Sapientiæ*, Cap. XIV, 15. —— Multa ſimulacra hominum in deorum & dearum figuram, habitumque, cultus cauſſa, formata. —— De amore ergà Reliquias quam pleniſſime teſtatur *ardentiſſimum illud deſiderium conjungendi & miſcendi cineris in uno conditorio vel urna*, idque jam heroicis temporibus declaratum; quod ſelectis teſtimoniis demonſtratur: quorum agmen claudit *Artemiſiæ* amor erga cineres mariti ſummus & ſingularis. Tabula elegans hunc amorem exprimens apud B. de Montfaucon. Scaligeri epigramma in Artemiſiam.

Sed redeamus πρὸς τὸ πρότερον, hoc eſt, ex præſcripto libri titulo, ad antiqua exempla, à quibus contemplatio noſtri temporis nos quodam-

modo averterat, ut paucis exemplis de medio acervo ſumtis oſtenderemus, eundem eſſe ætatis noſtræ in *Reliquias* ſenſum, ac qui olim fuit. Inter vetera autem quæ ponemus, ſequentia nobis viſa ſunt ſingularia & his, quæ ſupra de AMORE diſſeruimus, permagnum pondus additura.

Ordiamur ab exemplo, quod ſuppeditat hiſtoriæ parens Herodotus Halicarnaſſeus in Euterpe, ſive Hiſtoriarum libro II. cap. 129. ſeqq. ubi *Mycerinus* Ægypti Rex de filiæ ſuæ, ſobolis unicæ, morte inſolabiliter dolens, dicitur illam, loco ſepulchri, in lignea bove inaurata, vaccæ vivæ grandioris magnitudinem æquante, atque in genua procumbente, incluſiſſe *). Hæcce bos non humo condita, ſed adhuc Herodoti ætate in urbe *Sai* apud regiam in conclavi quodam exornato collocata fuit, Phoeniceo pallio & multo auro operta, atque inter media cornua aureum Solis ſimulacrum geſtans. Præterea illi, ut Herodotus perhibet, diebus ſingulis omniſarii odores incendebantur; noctibus autem lucerna perpetuo ardens adſtabat: &, quia filia patrem rogaverat, ut ſemel quotannis Solem intueretur, quotannis è conclavi efferebatur.

Adiicio his, quæ Apulejus Metamorph. libro VIII. p. 157. ſeq. (edit. Pricæi) de *Charites* amore in maritum ſuum Tlepolemum refert: *Dies totos totasque noctes inſumebat luctuoſo deſiderio: & imaginem defuncti, quam ad habitum dei Liberi formaverat, affixo ſervitio divinis percolens honoribus, ipſo ſe ſe ſolatio cruciabat.* Hæc litteratiſſimus Pricæus in animadverſ. p. 417. eleganter illuſtrat exemplo *Liviæ* quæ, teſte Suetonio in Calig. cap. 7., infantis rapti effigiem, habitu Cupidinis, in æde Capitolinæ Veneris dedicavit. Nec male huc refert Pricæus, quæ in *Libro Sapientiæ* cap. XIV, 15. leguntur. Quod ſi vero hæc & alia, quæ frequenter occurrunt exempla, animo & cogitatione complectamur, mirari deſinemus, quæ cauſſa ſit, quare tam multa ſimulacra hominum in deorum & dearum figu-

*) Haud dubie, quia bos femina apud Ægyptios ſacra habebatur. Herodotus dicto libro, cap. 41.

figuram habitumque formata, eaque ad *φαντασίαν* & arbitrium Amoris, legibus ſoluti, facta atque edolata, hodie clare diſtincteque explicari nequeant, quum creationis cauſſam vel vetuſtas obruit, vel oblivio dudum delevit. Exemplo ſit ipſa (ut tot *Joves*, *Junones*, *Dianas* & *Apollines* mittamus) ſæva *mater cupidinum*, quæ tractu temporis tot formas induit, ut centum amplius *Veneres* in ſcenam produxerit (multis tamen prætermiſſis) Carolus Patinus in Commentario ad antiquum Monumentum Marcellinæ (*ſacerdotis Veneris coeleſtis*) è Græcia allatum. Plurium exemplorum cauſſa modo evolvantur figuræ per æneas tabulas exhibitæ à Boiſſardo, Grævio, Gronovio, Sponio, Montefalconio, Gorio, aliisque Græcarum & Romanarum antiquitatum editoribus; quibus ab A. ſæc. LV. acceſſerunt antiqua Herculani monumenta, Neapoli lingua Itala ſplendide edita; item Winckelmanni monumenta antiqua inedita. In primis videantur Venutii & Amadutii vetera Monumenta in hortis Cælimontanis ædibusque Matthæiorum aſſervata; in quorum Tomo I. p. 14. 17. ſeqq. permultis exemplis oſtenditur, *Auguſtas* ſæpenumero exhiberi ſub *Dearum imaginibus*. Commonſtrat illa Index Tomo III. junctus, voc. *Auguſtæ*.

Hæc exempla omnino ita comparata ſunt, ut ex iisdem ſingularis quidam Amor erga priſtinæ amicitiæ memoriam eluceat; ſed majora ſuppetunt & teſtatiora: quo præcipue refero magnum illud ac vehemens deſiderium, quod amicos Theſea fide conjunctos tenebat, *Reliquias* ſuas, vel in uno cum amicis conditorio, vel in una eademque urna, conſociatas habendi. Illud (nam humationem antiquiorem eſſe & venerabiliorem combuſtione cadaveris, præter ſacros ſcriptores Cicero docet de Legibus II, 22. item Plinius Nat. Hiſt. VII, 54.) etiam ſanctiſſimis viris in populo Dei placuiſſe, ſupra Cap. IV. §. II. circa finem oſtendimus; hoc jam ab heroicis temporibus invaluiſſe, docet Homerus Iliad. ψ. ſive XXIII, 83. & 91. edit. Bergleri; ubi anima Patrocli ab Achille, optimo amico, vehementer hoc petit:

Μὴ ἐμὰ σῶν ἀπάνευθε τιθήμεναι ὀςέ' Ἀχιλλεῦ.

– – –

Ὡς δὲ καὶ ὀςέα νῶιν ὁμὴ σορὸς ἀμφικαλύπτοι.

Ne mea à tuis ſeorſum condas oſſa, Achille!

– – –

Sed oſſa nobis idem loculus contegat.

Id quod poſt Achillis fata eveniſſe, utriusque oſſibus in aurea amphora miſtim ſervatis; memoriæ proditur Odyſſ. Ω. ſ. XXIV, 74. ſeqq. — Quomodo *Jaſon*, dux & princeps decantatæ expeditionis in Colchos, itineris ſui comites Idmona & Tiphyn, in priſtini amoris, fidelitatis, perpetuæque inter ſe benevolentiæ teſtificationem, uno in tumulo, nec ſepare urna, condi juſſerit, exponit Valerius Flaccus Argonauticôn libro V. verſ. 56. ſeqq.

Quod tamen externis unum ſolamen in oris
Reſtat, ait, caras humus hæc non dividet umbras,
Oſſaque nec tumulo, nec ſepare conteget urna;
Sed ſimul: ut junctis veniſtis in æquora fatis.
Haud mora: reliquias ſocii defletaque miſcent
Nomina. tum vivo frondens è ceſpite tellus
Adgeritur: cineremque Lyco commendat Jäſon.

Lapis Veronenſis apud Muratorium, Theſ. Inſcr. T. III. pag. 1477. N. 9.

P. LICINIO PRISCO
ET. FLAVIO. AMYNTAE
QVIBVS. FIDES. EADEM
MENS. VITA. ET
TVMVLVS FVIT

Hæc de AMICIS, dum viverent, conjunctiſſimis. Sequantur quædam teſtimonia de PARENTVM & LIBERORVM votis quoad cinerum miſturam: Auctor incertus (vulgo Pedo Albinovanus) in Conſolat. ad Liviam

viam Auguſtam, de morte Druſi Neronis filii ejus, verſ. 161. ſeq. matrem ita inducit loquentem:

Quod licet, hoc certe tumulo ponemur in uno,
Druſe: neque ad veteres conditus ibis avos.
Miſcebor cinerique cinis, atque oſſibus oſſa:
Hanc lucem celeri turbine Parca neat!

Ad quæ videndus eſt Petrus Burmannus Operum Ovidii T. 1. p. 808. Lapis Romanus in vinea Pontif. apud Gruterum, Theſ. Inſcr. pag. 715. N. 10. hæc inter alia habet:

– – – OSSA. MEA. IN. ARAM. *) MIX
TA. CVM. FILIAE. VNA. REQVIESCVNT. HOC
SOLACIVM. MECVM. ERIT

Lapis Gerundæ in Hiſpania apud eundem, pag. 732. N. 11. ubi Piſon. f. inquit:

EGO. PARENTVM. MEORVM. CINERES. VNO.
SEPVLC. POSVI. ET. XXV
POST. ANNO. VITAE. CINERES. ADMISCERI.
MEOS. IVSSI. VT. QVIB. VIV. CONIVNC. FVE
RIM. IN VLTIMO. POSTEA. FATO. VENIENTE.
FIER. CONIVNCTIOR. PVLVERE. MEO. PVL-
VERI. EORVM. ATMIXTO.

Quæ

*) Fuit cum putarem, legi oportere, *arcam*, tritum in hac re vocabulum. Sed *aram* interdum idem eſſe ac *urnam*, vel *cippum funebrem*, ex Fabretto docetur in Lexico Fabro-Geſneriano. Huncce ſignificatum bene tuetur præſens inſcriptio, ibidem prætermiſſa. Addatur lapis apud Reineſium, Claſſe XVI. N. 68. in cujus f. *Hoc ſepulcrum ſive* ARA *cum ſuis maceriis heredem extraneum non ſequatur.*

Digitized by Google

Quæ apud eundem pag. 607. N. I. Velius Fidius ab Imperatore petiit, jam p. 24. ſeq. attulimus.

Denique luſtremus CONIVGES, aliosque AMANTES, æterno amoris vulnere devinctos, qui præ ceteris declararunt, ſibi tumuli arctioris ſocietate, vel cinerum miſtura, nihil gratius fore nihil optatius. Apud Euripidem in ſupra, p. 50. laudata Tragoedia verſ. 365. ſeqq. Admetus Rex uxori jam vita abituræ p. 627. promittit & ſpondet:

Mandabo enim, ut in iisdem cedrinis arcis mea
Tecum hæc ponant latera, & ut ea extendant prope
Latera tua. utinam enim ne mortuus quidem unquam
A te ſejunctus ſim, quæ ſola mihi fuiſti fida.

Sed Græca fortaſſe gratiora erunt:

Ἐν ταῖσιν αὐταῖς γάρ μ' ἐπισκήψω κέδροις
Σοὶ, τάσδε θεῖναι πλευρὰς ἐκτεῖναι πέλας
Πλευροῖσι τοῖς σοῖς. μὴ δὲ γὰρ θανών ποτε
Σοῦ χωρὶς εἴην, τῆς μόνης πιστῆς ἐμοί.

Inter varia exempla, quæ de *Amore conjugali* collegit Valerius Maximus, Dict. & fact. mem. libro IV. cap. 6. *Rom.* N. 3. eminet quod retulit de *M. Plautio*, ejusque uxore *Oreſtilla*, Tarenti uno tumulo (qui τῶν Φιλεύντων, ſive *Duorum Amantium*, ſignificantiſſime vocatus eſt) compoſitis: "*Plautius* cum imperio ſenatus claſſem ſociorum ſexaginta navium in „Aſiam reduceret, Tarentumque appuliſſet, atque ibi uxor ejus *Oreſtilla*, „quæ illuc eum proſecuta fuerat, morbo preſſa deceſſiſſet: funeratâ eâ, „atque in rogum impoſitâ, inter officium ungendi, & oſculandi, ſtricto „ferro incubuit. Quem amici, ſicut erat, togatum & calceatum *corpori* „*conjugis junxerunt;* ac deinde ſubjectis facibus, utrumque una cremaverunt. quorum ibi factum ſepulcrum, *Tarenti* etiamnum *) conſpicitur, „quod

*) Nimirum Valerii Maximi ævo, verum hoc ſepulcrum (quia etiam ſepulcris ſua ſunt fata) non amplius conſpici, perhibet Hiſtoricus Tarentinus *Joannes Juvenis*,

Digitized by Google

„quod vocatur ΤΩΝ ΦΙΛΟΥΝΤΩΝ. *Nec dubito, quin, ſi quis modo „extinctis ſenſus ineſt, Plautius & Oreſtilla, fati conſortione geſtientes vul- „tus tenebris intulerint. Sane ubi idem & maximus & honeſtiſſimus amor „eſt, aliquanto præſtat morte jungi, quam vita diſtrahi.*“

Erat igitur Plautius ex his, de quibus Plato in Phædone pag. 51. *E.* interprete Ficino, ait: *multi ſponte voluerunt ad inferos proficiſci, ſperantes eos ibi videre, cum eisque verſari quos amaverant.* In eadem hæreſi erat Charite apud Apulejum Metamorph. libro VIII. p. 162. quæ marito miſere trucidato ſupereſſe & ſupervivere nolens, ad eundem ferro viam quæſivit: quo facto *propere familiares, miſeræ Charites accuratiſſime corpus ablutum, unita ſepultura ibidem marito perpetuam conjugem reddidere.*

Magnos, ſed inauſpicatos, *Pyrami* & *Thisbes* amores canit Ovidius Metamo. IV. verſ. 55. ſeqq. Hæc vero cariſſimum juvenem, qui ſibi ex errore manus intulerat, morte immatura exſtinctum intentis oculis contemplans, atque ideo jam ferro incubitura, parentes verſ. 154. ſeqq. ita affatur:

Hoc tamen amborum verbis eſtote rogati,
O multum miſeri, meus illiusque, parentes,
Ut, quos certus amor, quos hora noviſſima junxit,
Componi tumulo non invideatis eodem.

— — —

Quodque rogis ſupereſt, una requieſcit in urna.

Umbra

nis, de antiquitate & varia fortuna Tarentinorum libro 1. cap. 4. p. 5. Vid. Theſaurus antiqq. & Hiſtor. Italiæ T. IX. parte V. —— Eſſe quoque apud *Arvernos* ſepulcrum DVO - AMANTES vocatum, continens par conjugum, quod mutuo conſenſu in perpetua virginitate vixiſſe, & poſt viri obitum, qui poſterior deceſſit, in diverſis ejusdem templi ſepulcris conditum, per vim divinam, ſive miraculo ſingulari, rurſus in uno tumulo conjunctum dicitur. Longa ideo eſt hiſtoria apud Gregorium Turonenſem in Hiſtoria Francorum libro 1. cap. 42. paulo contractior in ejus libro de Gloria confeſſorum, cap. 32.

Digitized by Google

Umbra *Cynthiæ* recens humatæ *Propertio* (Eleg. IV, 7. circa f.) vagum in alias puellas amorem blande exprobrat, ipſa ſemet imminente cinerum conjunctione conſolans:

> *Nunc te poſſideant aliæ; mox ſola tenebo:*
> *Mecum eris, & miſtis oſſibus oſſa teram.*

Crebreniæ in Troade oſtendi ſepulcrum *Paridis* & *Oenones*, quæ ante raptam Helenam illius uxor erat, perhibet Strabo rerum geograph. Tomo II. libro XIII. p. 891. ſeq. Quodſi verum eſt, videtur Paris, Helenæ illecebris ſatiatus & expletus, ad Oenonen & primum amorem, ab Ovidio Heroid. Ep. V. eleganter depictum, non ſolum rediiſſe, ſed hunc etiam communi ſepulcro inferre voluiſſe.

Cleopatra, Antonii uxor (poſtquam in noviſſimo colloquio cum Octavio Cæſare omnes ſpes ſuas, quas hactenus habuerat, extenuari & evaneſcere vidit *), nihil extrémum quærit, quam *commune cum marito ſepulcrum*: πέμψον με πρὸς Ἀντώνιον, μηδέ μοι τῆς σὺν αὐτῷ ταφῆς φθονήσῃς. ἵν' ὥσπερ δι' ἐκεῖνον ἀποθνήσκω, οὕτω καὶ ἐν ᾅδου αὐτῷ συνοικήσω. *Mitte me ad Antonium, neque mihi communem cum eo ſepulturam invide, ut quemadmodum ejus cauſa pereo, ita etiam apud inferos cum eo degam.* Voti compotem factam fuiſſe perhibet Dio c. l. cap. 15. p. 645. verbis: *eodem modo conditi* (Antonius & Cleopatra) *in eadem arca ſepulti ſunt.* Gemina ſunt Suetonii in Aug. cap. 17. *Ambobus communem ſepulturæ honorem tribuit, ac tumulum ab ipſis inchoatum perfici juſſit.*

Comparanda in hoc videtur Cleopatra, ſi Poëtam audias, cum *Didone.* Hæc, antequam culpæ ſuccumberet, memor priſtini conjugis *Sichæi*, nota hæc & ſummi amoris plena verba (Æn. IV, 28.) dixit:

> *Ille meos, primus qui me ſibi junxit, amores*
> *Abſtulit: ille habeat ſecum, ſervetque ſepulcro.*

Pec-

*) Vid. Dionis Caſſii Hiſt. Rom. libr. LI. cap. 12. in f. p. 643. edit. Reimari, vol. 1.

Peccavit tamen bona *Dido*, partim imbecillitatis & fragilitatis humanæ vitio, partim perſuaſu & inductu ſororis, partim quoque ineluctabili fato, in leges veteris ſanctæque amicitiæ: ſed ita peccavit, ut veterem amorem non exueret; ut ſacellum, Sichæi Manibus dicatum, miro ſemper honore coleret (IV, 457. ſeq.), tandemque plena pudoris & dolore evicta, per voluntariam mortem ad Sichæum perrumperet, atque in priſtinam gratiam rediret (VI, 469 – 474.) Pleniori modo *Didonis* cauſſam ſuſcepit Vir Clar. I. C. Scaliger Poëtices libro III, 14. pag. 243.

Ex lapidibus inſcriptis, quos Grutero aliisque viris præſtantibus debemus, jam Cap. I. & II. quædam *de tumuli & cinerum conſortione* attulimus. addi his poſſent multa lapidum teſtimonia ad eandem rem facientia: ſed cum plurima præter ſolitum vix quidquam contineant, paucis contenti erimus, ut ab his diſcantur reliqua. Apud Gruterum, pag. 553, N. 3.

L. MENOBIVS. SYRVS —
SIBI. ET. SALADIAI. CONIVGI. CASTISS
QVAE. MIHI. SOLATIO. DATA. ET. CINERI. IVNCTA

Apud eundem, pag. 800. N. 9. Romæ in via Salaria *):

P. LICINI. ET. AEL. AMYNTAE
CINERIBVS. HIC. LOCVS. SACER. EST
VIX. VNANI . . . .

Apud Gorium Inſcr. antiqq. P. I. pag. 420. N. 274. lapis Florentiæ aſſervatus teſtatur, *oſſa Hilaræ minoris & Midæ cubicularii IIIViri, illius rogatu in unam ollam conjecta fuiſſe* **). Apud Donium Inſcript. antiqq. p. 107. N. 181. in lapide Romano non parum exeſo, T. Flavius Aug. L. Agathopus heredem ſuum jubet, ſua & Juliæ Secundæ uxoris *oſſa & cineres in unum*

*) Habent etiam hunc lapidem Reines. Claſſe XIV. N. 97. & Muratorius Inſcr. T. IV. Append. p. 2093. N. 9. ſed ordine linearum nonnihil immutato.

**) Minus curate hic lapis exhibetur à Sponio Miſcell. erud. antiq. Sect. IX. p. 289.

Digitized by Google

unum adiicere & poſt occludere plumbo, ne quis iſtis injuriam faciat. Videſis etiam hunc lapidem apud Muratorium, Theſ. Inſcr. T. II. pag. 901. N. 6. Similia apud Donium, p. 410. N. 81. Muratorium, pag. 956. N. 1. T. III. pag. 1356. N. 7. pag. 1737. N. 1.

Omnia vero hactenus allata exempla *de vi Amoris in Reliquias* videbuntur inferiora illo, quod Gellius Noct. Attic. X, 18. in pr. refert de ARTEMISIA, Mauſoli Cariæ Regis uxore, quæ *virum amaſſe fertur ſupra omnes amorum fabulas, ultraque affectionis humanæ fidem:* etenim haud contenta, in ſempiternam demortui conjugis memoriam, illud, ſub *Mauſolei* appellatione, inter ſeptem orbis miracula numeratum Monumentum Halicarnaſſi *) apparaſſe: ibidem ἀγῶνα inſtituiſſe, atque ad laudes marito dicendas præſtantiſſimos quosque viros ampliſſimis præmiis undique evocaſſe **): hacce, inquam, Amoris teſtificatione non contenta Artemiſia reperit quo longius progrederetur, eo in *reliquias* ſive *oſſa mariti* inflammata amore, qui Platoni ejusque amicis *ſanctus furor* videri poterat: namque (prout Valerius Maximus Dict. fact. memorab. libro IV, 6. inter *Externa*, N. 1. animadvertit) *Mauſoli vivum ac ſpirans ſepulcrum fieri concupivit, eorum teſtimonio, qui illam exſtincti oſſa potioni aſperſa bibiſſe tradunt*; quæ poſteriora Gellius d. l. ſic enarrat: *Artemiſia, luctu atque deſiderio mariti flagrans uxor, oſſa cineremque ejus mixta odoribus contuſaque in faciem pulveris aquæ indidit, ebibitque.* Hoc autem modo (ſed amantes neſciunt modum) cari cineris diuturnitati male conſuluit Artemiſia, quem pyxis vel urna longius aſſervaſſet, niſi cum eodem emori cupierit: id quod

*) Teſte Plinio Nat. Hiſt. XXXVI, 5. pag. 636. edit. Gronov. & Gellio d. l. Add. Cicero Tuſcul. III, 31. & Strabo Geogr. libro XIV. pag. 969. in f. edit. Almeloveen. De Mauſolei architectura ex profeſſo agit Dominicus Auliſius in Sallengeri Theſauro antiqq. Rom. T. III. p. 913. ſeqq. item Gisbertus Cuperus in Numiſm. antiq. explic. Sect. V. in Poleni Supplem. Græc. & Rom. antiqq. Vol. II. p. 223. ſeqq.

**) Illos nominat Gellius d. l. item Suidas in Lexico vocc. Ἰσοκράτης & Θεοδέκτης.

quod eveniſſe arbitror, quoniam Mauſoleo ſtrenue quidem inchoato ſed non perfecto immortua eſt: à quo tamen niſi abſoluto artifices non receſſerunt, ſuamet gloria animati, ſicut pluribus refert Plinius loco jam cit. ubi & ipſorum artificum nomina occurrunt.

Ceterum, quod libenter refero, exſtat apud Bernardum de Montfaucon Tomo V. Supplem. ad Antiquitates illuſtratas, p. 12. *Tabula æri inciſa*, quæ ad *Artemiſiam* bene probabili ratione refertur, illamque hoc modo repræſentat: Mulier, & vultu & veſtitu ſummum mœrorem præferens, cineres aqua dilutos cochleari hauſtos jam jam ſorbillatura exhibetur; vas hoſce continens in ara quadrata collocatum eſt: Aræ huic alia, aliquantum humilior floribusque ornata, adhæret; ex qua duæ columnæ exſurgunt, ſuperne junctæ, & cum ipſa ara triangulum inæquale (Iſoſceles) efficientes, impoſito iisdem globo. Inter duas haſce columnas Dea quædam conſpicitur (forſan *Venus cæleſtis* vel *Spes*), mœrore confectam mulierem benigne reſpiciens, dextroque brachio in altum ſublato, digito indice globum illum oſtendit, haud dubie ſignificans, virum, de quo illa tantopere doleat, in cœleſti orbe verſari, jamque ſub pedibus non ſolum videre ſidera & nubes, ſed etiam reſpectare uxorem deſideratiſſimam. Hæc perbene cum his convenire arbitror, quæ ſupra Cap. IV. §. II. diſputata ſunt. Extremum adponere liceat elegans I. C. Scaligeri epigramma in *Artemiſiam*, quod Poëmatum P. I. in Heroinis, p. 368. legitur:

In te vivebam tecum vivente marite:
Nec potui tecum poſt moriente mori.
Quin potui: ſed non poterat nos jungere mors hæc,
Hoc vetuit: non vis defuit illa mihi.
Morte invita igitur intra mea pectora vives:
Cumque ſua conjunx conjuge totus erit.

Digitized by Google

§. IV.

Argumentum.

Veterum Chriſtianorum pietas erga ſanctorum hominum reliquias, ſtatuas & imagines. De cathedris *Apoſtolorum*, & reliquiis *S. Polycarpi*, diſcipuli *S. Joannis.* —— De imaginibus CHRISTI ejusque *Legatorum;* in primis de ſtatua CHRISTO poſita à muliere ſanguinis profluvio liberata; item de Apoſtolorum *Petri* ac *Pauli*, nec non CHRISTI imaginibus ſæculo IV. adhuc ſuperſtitibus. Statua illa à *Juliano* Imp. everſa & confracta, à Chriſtianis rurſus collecta atque in Eccleſia repoſita fuit. Dallæi hallucinatio notatur. —— Cur multi Chriſtianorum ſtatuas fugerint? Quomodo id, quod Irenæus & Euſebius *gentilem conſuetudinem* vocant, intelligendum ſit? Fruſtra hic objicitur metus propter idololatriam, etſi quævis res, etiam optima, in malum uſum converti poſſit. —— Picturas vel ſtatuas non in ſe malas eſſe, exemplis divinis adſtruitur. quando pernicioſæ cenſendæ atque abolendæ? —— De imaginibus CHRISTI partim certis, partim incertis. —— *Tiberii* & *Alexandri Severi Impp.* magna opinio de CHRISTO. —— Inter primos Chriſtianos fuerunt etiam homines opulenti, à quibus imaginem CHRISTI in penetralibus & cubiculis pie aſſervatam fuiſſe, admodum credibile eſt. —— *Tertulliani* luculentum teſtimonium *de ſigno crucis* à primis Chriſtianis ad quævis negotia adhibito. In *Irenæi* teſtimonium hac ſuper re inquiritur. Reliqua hujus argumenti.

Nunc vero videamus, quæ veterum Chriſtianorum pietas fuerit erga *Reliquias ſanctorum hominum;* item erga horum *ſtatuas & imagines*, Reliquiis in ſenſu latiori ſæpe annumeratas, de quibus ſupra Cap. III. §. 1.

Cathedras Apoſtolorum, ſpeciatim *S. Jacobi*, à ſucceſſoribus ſtudioſe ſervatas fuiſſe, memoriæ prodidit Euſebius Eccl. Hiſtoriæ libro VII. c. 19. Conf. Valeſius in Addendis ad annotationes in Euſebium p. 319. col. 1. De Chriſtianorum amore erga *Reliquias S. Polycarpi*, ex flammis petitas, jam ſupra Cap. III. §. 4. p. 42. Euſebium audivimus. Proinde non mirum eſt, imagines pariter ac ſtatuas JESV CHRISTI, ejusque *Legatorum*, non demum à vergente jam ſæculo IV. (ut à quibusdam *) male adſtruitur),

*) Inter hos non ultimo loco eſt Joannes Dallæus de Imaginibus libro I. cap. 2. & libro 3. cap. 4. item in Diſputatione adverſus Latinorum traditionem de cultus reli-

tur), ſed diu ante, imo forte jam ſæculo primo, reverenter habitas fuiſſe, ut circa f. hujus §. oſtendetur. Antiquiſſimum, quod ſciam, ſuper hoc teſtimonium, etſi tantum de *Gnoſticis* loquatur, perhibet Irenæus libro I. contra hæreſes, cap. 24. in f. (pag. 101. ſeq. edit. Oxonienſis) ubi: „*Gnoſtici* etiam imagines quasdam quidem depictas, quasdam au„tem & de reliqua materia fabricatas habent, dicentes *formam* CHRISTI „*factam à Pilato*, illo in tempore quo fuit JESVS cum hominibus. Et „has coronant, & proponunt eas cum imaginibus mundi Philoſophorum, „videlicet cum imagine *Pythagoræ*, & *Platonis*, & *Ariſtotelis*, & reliquo„rum; & reliquam obſervationem circa eas ſimiliter ut Gentes faciunt„ Conf. Epiphanius adverſus hæreſes (contra Carpocraſios 7. vel 27. cap. 6. circa f.) libro I. Tomo II. vol. 1, pag. 108. Huc apprime facit Euſebius Eccl. Hiſt. libro VII, 18. enarrans, quomodo à muliere, ſanguinis profluvio liberata, CHRISTO ſoteri in *Cæſarea Philippi* (quam Phœnices *Paneada* nominant, & ubi mulier αἱμοῤῥοοῦσα nata dicitur atque habitaſſe) imago ærea, facti hiſtoriam exponens, juxta ædium ſuarum fores erecta fuerit; quam Euſebius illic adhuc ſtantem vidit; id quod ipſe in fine dicti capitis, interprete Henrico Valeſio, ſequentibus perhibet: "Hanc ſtatuam „JESV CHRISTI ſpeciem referre ajebant. Manſit porro ad noſtra uſ„que tempora *): nosque adeo urbem illam ingreſſi ipſam conſpeximus. „Nec vero mirandum eſt, Gentiles à Servatore noſtro beneficiis affectos „hæc

religioſi objecto: vir utique litteratiſſimus & in hiſtoria eccleſiaſtica verſatiſſimus; ſed qui, propter altercandi ſtudium & τὴν ἀμετρίαν τῆς ἀνθολκῆς, ſubinde à recta via aberrat, & contrariis implicatur erroribus, ut ſtatim videbimus.

*) Hanc ſub *Juliano Imp.* demum everſam & confractam, ſed à Chriſtianis rurſus collectam, in Eccleſia repoſitam fuiſſe, memoriæ produnt Sozomenus Hiſt. eccles. libro V, 21. p. 629. Philoſtorgius Hiſt. eccles. libro VII, 3. p 87. ſeq. & Nicephorus Hiſt. eccles. libro VI, 15. p. 406. ſeq. Veruntamen Dallæus de Imaginibus libro III, 2. p. 261. totius facti fidem vel penitus convellere, ut ſolet, vel certe vehementer ſuſpectam reddere propterea conatur, quod Mulier illa, antequam à CHRISTO ſanaretur, dicitur apud Marcum V, 26. & Lucam VIII, 43.

Digitized by Google

„hæc præſtitiſſe; cum & Apoſtolorum *Petri* ac Pauli, CHRISTI que „ipſius pictas imagines, ad noſtram usque memoriam ſervatas in tabulis „viderimus. Quippe priſci illi, absque ullo diſcrimine cunctos de ſe „bene meritos *Gentili quadam conſuetudine* tanquam ſervatores colere hu-„jusmodi honoribus conſueverant„.

Hoc autem ab Euſebio, ſicut ab Irenæo, ideo vocatur *gentilis conſuetudo* (ἐθνικὴ συνήθεια) quia Ethnici apud ſtatuas ſacrificia facere, easque coronis redimire ſolebant; qui ritus Chriſtianis non poterat non diſplicere, ut §. ſeq. dicemus. Tantum tamen abeſſe puto, ut, quæ Euſebius de ſtatuis generatim dixit, in reprehenſionem juſtam incurrant, ut potius, tanquam pii gratique animi ſignum, ſua laude non fraudanda ſint. Recte hoc, præeunte Euſebio, obſervat Nicephorus Hiſt. eccl. VI, 15. in f. interprete Joanne Lango: *Neque adeo mirum videri debet, qui aliquid beneficii olim à Servatore noſtro accepere, eos per ejusmodi monumenta grati erga eum animi memoriam reliquiſſe.*

Quæ hac occaſione de metu propter idololatriam objici ſolent, non usquequaque vera eſſe arbitror: tantum admonent, ne quid eſſe ſub ſole putemus, quod converti nequeat in perverſum & improbum uſum: qualiter ipſa ratio, donum hoc divinum, in fraudem malitiamque; religio in quæſtum (1. Timoth. VI, 5.); leges in prædam & libidinem; imperium in tyrannidem; ipſe etiam ſol in cultum idololatricum *). Haud tamen puto quenquam fore, qui rationem, qui religionem, qui leges, qui imperia, qui

omnes ſuas facultates erogaſſe in medicos, ideoque ipſi (judice Dallæo) non ſuperfuiſſe, unde ſtatua ærea, ſine magnis ſumtibus haud perficienda, erigi poſſet. Sed vir clariſſ. hæc ſcribens non recordatus eſt, τὸ *omne* (ut alia teſtimonia prætercam) etiam ab ipſis Evangeliſtis pro *magna* vel *majore parte* uſurpari, quemadmodum apparet ex Matthæi III, 5. Marci I, 5. Lucæ XV. in pr. Igitur credibile eſt, hancce feminam & primariam fuiſſe & valde opulentam. Ceteras Dallæi apinas tricasque non moramur.

*) Solem enim non ſolum à multis gentibus, ſed etiam à Philoſophis Deum credi, oſtendit Lactantius Operum libro II, 5. Conf. Lipſius ad Taciti Hiſt. III, 24. in f.)

Digitized by Google

qui ſolem & ſexcenta alia, propter facilem horum abuſum, è mundo ſublata eſſe velit & proſcripta. Quamvis vero (ut ad rem noſtram propius accedamus) imagines, ſive pictæ ſive ſculptæ, occaſionem ad perverſum cultum ſuppeditare poſſint, & quam ſæpiſſime dederint: ex eo tamen non efficitur, picturas vel ſtatuas in ſe malas eſſe, vel nunquam adhiberi debuiſſe. In ſacra ſcriptura, Exod. XXV, 18. ſeq. & XXXVII, 7. ſeqq. legimus, diſerto Dei mandato ſuper *propitiatorium arcæ* duo alatos *Cherubim* ex auro ſolido collocatos fuiſſe; quibus tamen, quamvis Deum auctorem haberent, cultus divinus haud præſtitus eſt; quod contra accidit *ſerpenti æneo*, quem gemino Jehovæ juſſu Moſes erexerat, ut illius *aſpectus* morſu viperino cruentatis continuam ſalutem adferret. Vid. Numer. XXI, 8. ſeq. Hocce ſimulacrum erat (ut ex Joh. III, 14. apparet) typus CHRISTI in crucem agendi; ſed quum Iſraëlitæ illud, loco *pii aſpectus*, thure litarent, optimo conſilio à rege Hezekia confractum fuit. Vid. Regum libro II. (Vulg. IV.) cap. XVIII, 4. Diſcimus ex hoc exemplo, ſtatuas (in quibus utique plus periculi reſidere videtur quam in tabulis pictis) tum demum pernicioſas eſſe atque abolendas, ſi quid detrimenti importent pietati & religioni, id eſt, *ſi credatur* (ut verba Concilii Tridentini ſupra Cap. III. §. 3. p. 39. modo adducta hic repetamus) *ineſſe aliqua in iis diuinitas, uel virtus, propter quam ſint colendæ; uel quod ab eis ſit aliquid petendum; uel quod fiducia in imaginibus ſit figenda; ueluti olim fiebat à gentibus quæ in idolis ſpem ſuam collocabant.* Pulcra & lectu digna ſunt, quæ hanc in rem ediſſerit Lactantius de origine erroris, Operum libro II, 2. ſeq. Addamus his, quæ cæteroquin acerrimus imaginum vindex Jacobus Gretſerus in libro de S. Cruce libro IV. cap. V. p. 3087. ad *hæreticos* (quo nomine à Romana communione diſſentientes appellare ſolet) ſcribit: *Abuſus imaginum, ſive illæ* Crucis *ſint, ſive* Cœlitum, *dummodo veri ſint abuſus, æque nobis diſplicent ac vobis. Quocirca nihil tam graviter contra abuſus ſcribere potes, quod non ſit ſcripturus nobis volentibus; dummodo intra abuſuum limites te contineas, & non more veſtro zizania cum tritico evellas.*

An

An vero IESV CHRISTI, dum in hiſce terris degeret, vultus ære aut penicillo expreſſi ſint, certant eruditi viri: ſunt partim qui hoc negant, partim qui affirmant, iracundius & laborioſius, quo quisque eſt ſolertior atque ingenioſior. Ego quidem ea, quæ Irenæus & Euſebius de CHRISTI & *Apoſtolorum* imaginibus poſteritati tradiderunt, paulo ante prolata, ob iſtorum ſcriptorum ἀξιοπιϛίαν, & propter cauſſas mox memorandas, non auſim apponere fictis & commentitiis fabulis: attamen ea, quæ de imagine CHRISTI ab ipſo ad *Agbarum* vel *Abgarum*, *Edeſſenorum regulum*, miſſa; item quæ de CHRISTI icone *Nicomediana*, in medium protulit Franciſcus Feu-ardentius in obſervationibus ad Irenæum p. 124., indigent adhuc fidejuſſoribus locupletioribus. Non licet hic (quod quidam inconſiderate faciunt) teſtimonium denunciare Euſebio: Hicce quidem Eccl. hiſt. libro I. cap. 13. ex profeſſo agit *de mutuis* CHRISTI *&* *Abgari litteris*, ſuper his provocans exemplaria Syriaca, in urbis Edeſſæ tabulariis aſſervata; ſed ne γρῦ quidem apud Euſebium de imagine Abgaro data; quam is ab oblivione hominum atque à ſilentio procul dubio vindicaſſet, dummodo vel fando de eadem aliquid percepiſſet. Igitur, quidquid de illa imagine Feu-ardentius, Bellarminus de Imagg. SS. p. 800. & alii bene multi divulgarunt, antiquiori teſte probari nequit, quam *Evagrio Scholaſtico*, ſcriptore ſæculi VI. ad finem properantis. Hic vero in Eccles. hiſt. libro IV, 27. p. 368. primus hanc imaginem (vocatam à ſe τὴν θεότευκτον εἰκόνα), tanquam purpureum pannum late ſplendentem, hiſtoriæ aſſuit, ſed ſine ullo teſte & laudatore idoneo; quod jam recte animadvertit Henricus Valeſius in obſervatt. ad h. l. Conf. omnino Tillemontius in eruditiſſimo libro, quem inſcripſit: *Mémoires pour ſervir à l'hiſtoire eccleſiaſtique*, Tomo I. in S. Thoma, p. 363.

Non magis firmo fundamento nituntur, quæ Feu-ardentius l. c. refert de CHRISTI imagine, cujus pictor ſit fictorve *Nicodemus*: ille ipſe, qui primum nocte CHRISTVM convenit, Joh. 3. in pr., deinde cauſſam ejus aperte & fortiter tutatus eſt, Joh. 7, 50. ſeq., denique funeralis in illum

Digitized by Google

illum officii adjutor perquam liberalis fuit, Joh. 19, 39. Huncce *Nicodemum,* perhibet Feuardentius, Servatoris imaginem tradidiſſe aſſervandam Gamalieli; hunc Jacobo; hunc Simeoni; hunc ſibi ſuccedenti Zachæo; ſicque deinceps conſervatam fuiſſe, quoad uſque Judæi in Berytho Syriæ urbe omnia paſſionis dominicæ probra in eandem renovarent, pluribus inde conſecutis miraculis. Antiquiſſimus rei geſtæ teſtis laudatur *S. Athanaſius* in Sermone de paſſione imaginis Domini (Operum T. II. p. 344. ſeqq.). Verum ipſe Bellarminus de ſcript. eccl. p. 52. illum Athanaſii ſermonem (licet ideo excitetur in ſecunda Nicæna ſynodo act. 4.) ſuppoſititium eſſe adſtruit, & auctoris multo recentioris: id quod etiam affirmant Athanaſii editores, monachi congreg. S. Mauri, qui eundem ſermonem, ut multa alia Athanaſio perperam affiicta, ſpuriis libris adſcribunt, & auctorem vocant imperitum aliquem & infacundum hominem: quo pacto tota hujus imaginis hiſtoria tam incerta redditur quam quæ incertiſſima.

Quandoquidem vero vel aliqui Imperatorum Ethnicorum de CHRISTO magnifice, licet modo minus probando, ſentiebant: velut *Tiberius,* qui de CHRISTO inter deos Romanos cooptando quædam molitus eſt *): item

*) Hoc tanquam factum, tunc notum omnibus quodque tenebatur, provocat *Tertullianus* in Apolog. cap. 5. §. 2. & poſt eum alii Patres Græci & Latini. Verba ejus, edit. La Cerda, p. 68. ſunt hæc: *Tiberius ergo, cuius tempore nomen Chriſtianum in ſeculum introiuit, annuntiatum ſibi ex Syria Palæſtina, quæ veritatem Illius diuinitatis reuelarat, detulit ad Senatum cum prærogatiua ſuffragii ſui. Senatus, quia non ipſe probauerat, reſpuit. Cæſar in ſententia manſit, comminatur periculum accuſatoribus Chriſtianorum.* Quæ hiſce Tertulliani potiſſimum objici ſolent, quaſi ſint ab ingenio & moribus Tiberii aliena, atque, ob ſilentium cujusvis antiquioris hiſtorici, ſubleſtæ fidei, egregie refutavit ac rejecit Theologus Baſileenſis *Iſelinus* in Diſſert. Gallico ſermone ſcripta: *ſur le projet conçû par Tibere, de mettre N. S.* JESUS-CHRIST *au nombre des Dieux de Rome.* Videatur *Bibliothêque Germanique* Tome XXXII. p. 147. ſeqq. & Tomus ſequens p. 12. ſeqq. (Amſterdam 1735.)

Digitized by Google

item *Alexander Severus*, qui teſte Ælio Lampridio in vita hujus Imp. cap. 29. (Hiſt. Aug. Script. T. I. p. 930.) CHRISTVM, *Abraham, & Orpheum inter animas ſanctiores in larario ſuo habebat;* & præterea CHRISTO (ut cap. 43. p. 993. affirmatur) *templum facere voluit, eumque inter deos recipere:* quandoquidem hæc, inquam, conſidero; & picturæ, ut paulo ante dixi, non per ſe, ſed culpâ hominum, malæ vel impiæ cenſendæ ſunt: incredibile puto, primos Chriſtianos, præſertim *opulentiores* *) adeo ſocordes negligentesque fuiſſe, ut EIVS nullam effigiem exſtare cuperent, quem toties & publice & privatim docentem audiverant, ſapientiſſimumque exiſtimaverant; quem convivam plus ſemel habuerant; quem ſanctiſſimum & beneficentiſſimum miraculorum patratorem vel ipſi viderant, vel ex teſtibus oculatis & fide digniſſimis compererant; quem denique non ſolum ad ſupplicii locum duci, mori, ſepeliri; ſed etiam tertia die in vitam rediiſſe, aut ſuismet oculis conſpexerant, aut hoc præter Apoſtolos quingentis teſtibus, quibus ſimul Ille ſe exhibuerat, tuto credere poterant. Admodum igitur credibile eſt, tunc à multis Chriſtianis (etiamſi ſuper hoc nullum teſtimonium ſuperaret) imaginem τȢ Σωτῆρος, vel è cruce pendentis, vel eo modo quo quisque Illum ex factis propius cognoverat, in penetralibus & cubiculis aſſervatam fuiſſe. Is certe ἀχαρισίας crimen non ſubit, ſed potius bene & pie agit, qui Amici de ſe optime

*) Horum mentio plus ſemel injicitur in epiſtolis Pauli, e. g. I. Timoth. 6, 17. Inter hos etiam fuiſſe mulieres primarias & ditiſſimas, facile colligas ex Pauli I. Timoth. 2, 9. Cap. 5, 10. I. Petri, 3, 3. Id quod velim ſibi notent qui, immemores *Cornelii centurionis,* Act. 10., *Pauli Sergii*, Cypri Proconſulis, Act. XIII, 7. 12., *Dionyſii Areopagitæ*, Act. XVII, 34. temere affirmant, primos Chriſtianos ultimæ tantum ſortis & ad inopiam redactos homines fuiſſe. Sed hoc jam erat frigida illa atque jejuna Phariſæorum calumnia apud Johannem, cap. 7, 48, 49. ſed eadem ipſa *Nicodemi,* aliorumque è gente Judaica procerum, exemplis obtrita & contuſa. Vid. Joh. 3. in pr. cap. 7, 50. ſeq. Cap. 19, 39. in primis Cap. 12, 42. Conf. Matth. 27, 57. ſeq. Marc. 15, 43.

Digitized by Google

time meriti, ſed oculis ſubtracti, pictura animum paſcit, huncque ab illa ad ipſum exemplar traducit. Scite hoc & venuſte animadvertit Seneca Epiſt. 64. circa f. *Quid ni ego magnorum virorum & imagines habeam incitamenta animi, & natales celebrem? Quid ni illos honoris cauſſa ſemper appellem? Quam venerationem præceptoribus meis debeo, eamdem illis præceptoribus generis humani, à quibus tanti boni initia fluxerunt.* Enimvero oculorum ſenſum eſſe acerrimum omnes novimus cum Horatio, A. P. verſ. 180. ſeq.

> *Segnius irritant animos demiſſa per aurem,*
> *Quam quæ ſunt oculis commiſſa fidelibus, & quæ*
> *Ipſe ſibi tradit ſpectator.*

Accedit, quod Tertulliani ævo, i. e. poſt C. N. ſecundo tertioque, Chriſtiani tantum tribuerunt *ſigno Crucis*, ut eodem ad omnia fere negotia uterentur. Ita enim ille in libro de *Corona militis*, ſive libro XV. cap. 3. in f. p. 653. edit. de la Cerda: "Ad omnem progreſſum atque promotum, „ad omnem aditum & exitum, ad veſtitum & calceatum, ad lavacra, ad „menſas, ad lumina, ad cubilia, ad ſedilia, quacunque nos converſatio „exercet, *frontem crucis ſignaculo terimus.*„ Hunc ritum una cum aliis ritibus, in principio hujus Capitis, & in ſequentis initio memoratis, vocat, quod notabile eſt, *Traditionem conſuetudine corroboratam, ſed ſine lege ſcripturæ.* Bellarminus *) quidem pro *ſignaculo crucis* teſtem ſiſtit centum circiter annis majorem *Juſtinum martyrem*, Quæſtionum & Reſp. N. CXVIII. ubi illi hæc verba tribuit: *Sicut etiam dextera potius, quam ſiniſtra ſignum Crucis exprimimus, cum alicui benedicimus.* Sed verum (ut mittam in Græco textu hæc paulo aliter haberi) fruſtra utitur Bellarminus hoc teſtimonio, quia ipſe hunc *Quæſtionum librum* validis rationibus Juſtino abjudicat in ſuo de ſcriptoribus eccleſiaſticis libro (Operum T. VII. p. 33). quod

*) De imaginibus Sanctorum, libro II. cap. 29. Operum T. II. p. 845.

quod etiam multi eruditi viri ante & poſt Bellarminum fecerunt. Nihiloſecius arbitror, verba illa S. Juſtino affic̃ta à ſenſu ejus haud aliena eſſe, quia non ſolum in Dialogo cum Tryphone Judæo multa veteris Teſtamenti loca ad *ſignum Crucis* pie & ingenioſe tranſtulit (monſtrata in Indice Operum voc. *Crucis figura*) ſed etiam in Apologia II. pro Chriſtianis, edit. Paris. p. 90. & Londin. p. 82. ſeq. idem ſignum quam ſæpiſſime (velut in antennis, vexillis, aratris, vultu humano &c.) myſtice obvium ſtatuit. Ceterum videri poſſunt Chriſtiani hunc *Crucis ſignaculi* ritum quodammodo ex Apoſtolo Paulo collegiſſe qui, (ut in Epiſtola ad Galatas cap. ult. ſcribit) de nulla alia re gloriabatur, niſi de *Cruce Chriſti*, aſſeverans ſe ejus *ſtigmata* in corpore ſuo, ἐν τῷ σώματι, portare.

§. V.

Argumentum.

Græcorum atque Romanorum ritus *Amicorum reliquias floribus ſpargendi*, illorumque capitibus *coronas* imponendi, inviſus erat primis CHRISTIANIS: is tamen deinceps pie & laudabiliter receptus fuit; quia, præter ſancti amoris indicium, ad *cæleſtes coronas* ſpectabat, fortibus CHRISTI athletis in altera vita promiſſas. *Tertullianus*, iſtius ritus oſor, à doctis viris graviter reprehenditur. —— Labentibus annis mos ille inter ἀδιάφορα poſitus eſt, aliis eundem ſervantibus, aliis eundem omittentibus. Noſtra ætate adhuc ille multis in locis viget, dum pueri innuptæque puellæ efferuntur.

Æque à Græcis atque à Romanis ſepulcra, quæ *amicorum reliquias* continebant, floribus optimi generis, roſis præcipue ac liliis, ſparſa fuiſſe, affatim teſtantur & litterata marmora & ſcriptores antiqui; multa quorum teſtimonia collegit Kirchmannus de Funeribus libro IV, 3. Huc omnino etiam referendæ ſunt *Coronæ*, mortuorum capitibus imponi ſolitæ. Vid. Caroli Paſchalii luculentus liber *Coronæ* inſcriptus, libro IV. cap. 5. & Kirchmannus de Fun. I, 11. ubi is circa fin. obſervat, primos Chriſtianos, qui ſibi cum Ethnicis nihil commune eſſe volebant, tam ab hoc quam florum ſpargendorum ritu aliquamdiu prudenter abſtinuiſſe. Hoc ite-

iterum & paulo plenius libro IV, 3. circa f. docet ex Minucii Felicis Octavio *) & Juſtini Martyris Apologia II. **)

Poſteaquam vero res Chriſtianorum firmiori talo ſtare cœpit: mos ille (ob ſordes admixtas inviſus Chriſtianis in civitatis ſuæ infantia, ut pag. 78. attigimus) ſenſim & pedetentim receptus fuit. Is autem, ſpretis & repudiatis ineptiis, non ſolum innocens erat, liquidum amorem ſpirans, ſed etiam ad *cæleſtes coronas* ſpectabat, quas fortibus CHRISTI athletis, ſanctisque hominibus, in altera vita promiſſas, & poſt devictum ſæculum à benigniſſimo illo brabeuta ac deſignatore exſpectandas eſſe, novimus ex 1. Corinth. IX, 25. II. Timoth. IV, 8. I. Petri V, 4. Jacobi I, 12. Apocalyp. II, 10. Hanc myſticam mortuos coronandi cauſſam recte agnoſcit Paulus Aringhus in Roma ſubterranea, T. 1. libro 1. cap. 25. §. 12. p. 128. verbis: *Primi illi antiquæ probitatis, candidæque fidei Chriſtiani ſuos coronis proſequebantur mortuos, virgines præſertim, & martyres, hanc unam potiſſimum ob cauſſam, ut poſt ſuperata videlicet ærumnoſæ hujus vitæ certamina, victores eosdem è ſeculo in Cælum ſe recepiſſe, impertita capiti corona, quæ victoriæ ſymbolum eſt, conteſtarentur.* Hanc ob cauſſam Aringhus p. 129. Tertullianum *pertinaciter delirantem* appellat, quod iſtum ritum, quamvis omni ſuperſtitione liberatum, nimis exagitat & ſugillat (de Corona militis, ſive libro XV. cap. 10.). Ideo quoque Tertullianum reprehendit Paſchalius Coronarum libro I. cap. 15. circa f. Conf. Joannis Ciampini vetera Monimenta, P. I. cap. 14. p. 110.

Quidquid igitur ad ritum coronandi mortuos, & ſepulcra floribus ſpargendi ſpectabat, id labentibus annis inter ἀδιάφορα poſitum res liberrimi

*) Cap. 12. p. 125. ſeq. & Cap. 38. p. 382. ſeqq. edit. Jacobi Gronovii; ubi etiam Tertulliani & Clementis Alexandrini teſtimonia adducuntur.

**) Pag. 57. lit. *C.* & p. 68. in f. edit. Paris. In editione Londinenſi hæc occurrunt p. 13. & p. 36. ſed præmiſſo Apologiæ *primæ* titulo.

Digitized by Google

rimi arbitrii evaſit: aliis huncce ritum ſervantibus *), aliis eundem ſuſque deque habentibus. Utrumque diſcimus ex D. Hieronymi epiſtola conſolatoria, ad Pammachium ſuper obitu Paulinæ uxoris ſcripta **), in qua his verbis utitur: *Ceteri mariti ſuper tumulos conjugum ſpargunt violas, roſas, lilia, floresque purpureos, & dolorem pectoris his officiis conſolantur. Pammachius noſter ſanctam favillam ***) oſſaque veneranda, eleemoſynæ balſamis rigat: his pigmentis, atque odoribus fovet cinerês quieſcentes, ſciens ſcriptum* (Eccles. III, 33): *ſicut aqua extinguit ignem, ita eleemoſyna peccatum.* Apertius tuetur illum ritum æqualis ſcriptor Sulpicius Severus in Dialogo III 22. (Operum p. 571. edit. Amſtelod.) ubi, quamvis florum ſparſionem *inane munus* vocet, tamen hoc ipſum ab amico petit: *Si umquam illuſtris illius Ptolemaidis litus acceſſeris, ſolicitus inquiras, ubi ſit conſepultus noſter ille Pomponius; nec faſtidias viſitare oſſa peregrina. Multas illic lacrymas, tam ex affectu tuo, quam ex noſtris funde viſceribus. Ac, licet inani munere, ſolum ipſum flore purpureo, & ſuave redolentibus ſparge graminibus.* Accedit hiſce Aurel. Prudentius, Cathemer. in f. hymni X., qui inſcribitur: *In exſequiis defunctorum*, verbis:

Nos

*) Is noſtro adhuc ævo uſitatus, multisque in locis quotidianus eſt, dum pueri, vel innuptæ puellæ efferuntur.

**) Vide Hieronymi Epiſt. T. 1. Epiſt. XXVI. pag. 212. lit. *D.*

***) Imitatur hic Hieronymus, ſed parum caute, Horatium Carm. II, 6. in f. *tu calentem Debita ſparges lacryma favillam Vatis amici.* Etenim τὸ *favillam* ad cremationem corporis pertinere manifeſtum eſt; quod de Paulina dici nequit. Nec laudo hos, qui hodieque in epicediis *urnas* crepant, harumve ſignum mendax monumentis ſepulcralibus imponunt; quaſi omnis alia mortis nota deeſſet. *Quodcunque oſtendis mihi ſic, incredulus odi.* Faceſſant in re ſevera ejusmodi nugæ inanes: ad quas etiam referendum puto caſcum illud & caſſum: S. T. T. L. *ſit tibi terra levis!* quod jam Martialis Epigr. IX, 30. in f. vertit in diram hanc imprecationem: ut oſſa tanto facilius eruantur à *canibus;* item à *ſuibus:* quo facit vetus Epigramma, prolatum à Pithæo Epigr. vett. libro III. p. 116. edit. Paris., vel in edit. Genev. p. 97. juncto Ferretio in Muſis lapid. libro V. p. 327.

Nos tecta fovebimus oſſa
Violis & fronde frequenti,
Titulumque & frigida ſaxa
Liquido ſpargemus odore.

Adde Periſteph. hymn. IX. (aliis III.) in honorem B. Eulaliæ martyris, verſ. 200. ſeqq.

CAPVT VI.

De Reliquiarum, in primisque ſanctarum, αὐθεντίᾳ *caute dijudicanda, propter fraudes earundem cauſſa admiſſas.*

§. I.

Argumentum.

Cognitio *Reliquiarum ſanctarum*, earumque à falſis & ſpuriis diſtinctio, hodie difficillima eſt, magnaque cautione inſtituenda, ne riſus aliis moveatur: veteratores tamen odio digniores ſunt, quam decepti irriſione. —— Circa *ſanctas Reliquias* nihil temere affirmandum eſt, neque loquaciter negandum. Quod ſi illæ ab initio tales fuerint, quales dicuntur: nihil vetat, quo minus credamus, easdem ad noſtra tempora durare potuiſſe, & tam acri cura atque diligentia cuſtoditas fuiſſe, quam hocce modo multa veteris Græciæ aliarumque gentium monimenta, numi, gemmæ, membranæ &c. ſuperant. Accedit quod multæ res, fragilis admodum & caducæ materiæ, (etiam incuſtoditæ omnibusque temporis & caſus injuriis expoſitæ) nunc demum, poſt XVII. & quod excurrit ſæcula, ex *Herculani* urbis parietinis in lucem protractæ, atque fatis cognoſcendæ exhibentur.

Quemadmodum ſupra Cap. IV. & ſeqq. *Amorem* tanquam primum fundamentum *cultus Reliquiarum* conſideravimus; alterum vero poſuimus in *perſuaſione indubitata, has ipſas Reliquias non eſſe ſuppoſititias, ſed ſinceras & veriſſimas*: ita nunc hæc quæſtio, an *tales* ſint? perdifficilis & lubrica, ſeorſum excutienda reſtat; quia hic magna cautione & diligentia opus eſt piis ſed parum cautis amatoribus, ne incognita pro cogni-

tis

tis habeant, ideoque capti fraudative ſannas poſticas vel ſibilos apertos arceſſant: ſibi quidem non magis perniciofos ac illi, qui ſingulari pietate commotus exoſculatur rem quandam à veteratore oblatam, quaſi eadem ab amico deſideratiſſimo proficiſcatur, poſtea demum ſibi fraudem factam certo auctore comperit. Talis ſane veterator odio dignior videbitur æquis cognitoribus, quam is irriſione, qui in fraudem illectus eſt modo perquam callido & impio. *Quo enim quis* (ut recte obſervat Cicero de Offic. II, 9. circa f.) *verſutior & callidior eſt, hoc inviſior & ſuſpectior, detracta opinione probitatis.*

Quemadmodum vero circa res, quas in amicorum dum viverent uſu & dominio fuiſſe novimus, noſtriſque oculis vidimus, cuivis de plano & ſimplici judicare licet qui oculis uti didicit: ita longe difficillima eſt ratio earum rerum, quæ non niſi ex teſtimonio aliorum cognoſcendæ dantur: quo in primis pertinent omnes illæ quas in Cap. III. §. 1. attigimus. Quod ſi illæ ab initio reapſe tales fuerint (id quod *facti* eſt quæſtio, non temere affirmanda, neque temere & loquaciter neganda; neutra à quolibet judice gregali definienda): nihil vetat, quo minus multas iſtarum credamus ad noſtra æque tempora durare potuiſſe, & tam acri cura & diligentia cuſtoditas fuiſſe, quam ſexcenta veteris Græciæ aliarumque gentium monimenta atque κειμήλια, numi, gemmæ, membranæ &c. in Regum Principumque tabulariis perpetuo ſummoque ſtudio ſervari ſolent. Immo multas res vel incuſtoditas, omnibusque temporis & caſus injuriis expoſitas, perdurare, evincunt eæ quæ poſt XVII. & quod excurrit ſæcula, noſtra demum ætate ex *Herculani* urbis cadavere & parietinis erutæ ad Regem utriusque Siciliæ delatæ ſunt: etenim has inter reperta dicuntur non ſolum quam plurima ex vitro, marmore & vario ære confecta vaſa, ſtatuæ, columnæ, &c. verum etiam (quod non ſine admiratione legimus) veſtimenta, picturæ vivos adhuc colores ſpirantes; item ligna vetuſtate quidem exeſa, ſatis tamen dignoſcenda; nec non frumenti, panis, olivarum, & cruſtulorum reliquiæ; de quibus aliisque plenius refert, qui ſibi in

Digitized by Google

in his, ut teſti αὐτόπτῃ, fidem haberi poſtulat, vir ill. Marcellus de Venuti, in *Deſcrizione delle prime Scoperte dell' antica Città d'Ercolano ritrovata vicino a Portici, villa della Maeſtà del Rè delle due Sicilie,* P. II. cap. I. ſeqq. *) Quid igitur exiſtimandum eſt de *Reliquiis,* quæ vaſis aureis, argenteis incluſæ, & cryſtallorum operimento veſtitæ, tanta ſemper cura & providentia ſervatæ dicuntur, ut eas neque digitus neque halitus attingere potuerit? Hic velim conferatur I. A. Schmidii Problêma hiſtorico-eccleſiaſticum de *Crucis dominicæ* per Helenam Conſtantini Imp. matrem inventione, (Helmſtadii 1724.) ubi p. 54. ſeq. oſtendit, *lignum dominicum,* etiam ſinè miraculo, ad quod confugerat Gretſerus, in illud tempus durare potuiſſe, temere negatum à Junio & Salmaſio.

§. II.

Argumentum.

Sicut ab antiquiſſimo tempore apud Romanos fuerunt *Falſarii,* qui inſtrumenta, tabulas, ſigna, numos, &c. dolo malo ſupponebant; media autem atque ſubſequens ætas falſorum Diplomatum fabricatoribus infamis erat (unde *Bella* illa quæ vocantur *diplomatica*): ita circa *Reliquias ſanctorum* innumeras fraudes & fallacias fuiſſe admiſſas, vetus & juſtiſſima querela eſt, eaque agnita & deplorata à *Ferrando, Muratorio* & aliis. *Concilii Tridentini* hac ſuper re Decretum.

At, dicat aliquis jure meritoque, *ſanctarum Reliquiarum* reſpectu innumeræ fraudes atque fallaciæ admiſſæ, & multæ adulterinæ pro veris turpi mangonio quæſtuque venditæ ſunt! Non ſolum recentior hæc eſt eaque juſtiſſima querela, ſed eadem jam à B. Auguſtino prolata, in libro de *Opere Monachorum* (Operum T. III. p. 303. col. 1. lit. *A.*) ubi multos nebulones vagos, Monachorum habitum præferentes, ſed nuſquam præſepe certum habentes, à Cacodæmone emiſſos conqueritur, verbis: „Tam multos hypocritas ſub habitu Monachorum uſquequaque diſperſit, cir-

*) Edit. Venetiis 1749. & recuſa Londini 1750. Ad quam editionem &, quæ ſtatim inſecuta eſt, Anglice verſam, nonnulla contuli in calce obvia; ſed volebam oculatiorem typothetam.

Digitized by Google

„circumeuntes provincias, nuſquam miſſos, nuſquam. fixos, nuſquam „ſtantes, nuſquam ſedentes. *Alii membra Martyrum (ſi tamen Martyrum) „venditant;* alii fimbrias & phylacteria ſua magnificant“. Geminas fraudes monachis Canobi in Ægypto objicit Eunapius Sardianus in vitis Philoſophorum (in Ædeſio circa f.), ubi ab illis, in locum Martyrum, ſalita ſceleſtorum & ultimo ſupplicio affectorum hominum capita fuiſſe ſubdita perhibet, verbis multò felle madentibus. Magis movent, quæ illius ætati ſuppar Sulpicius Severus in vita B. Martini cap. 8. (Operum p. 455. ſeq.) memoriæ prodidit, verbis: “Erat haud longe ab opido proximus „monaſterii locus, quem falſa hominum opinio, velut conſepultis ibi martyribus ſacraverat. Nam & altare ibi à ſuperioribus Epiſcopis conſti„tutum habebatur. Sed Martinus non temere adhibens incertis fidem, „ab his qui majores natu erant presbyteris, vel clericis, flagitabat ſibi „nomen martyris, vel tempora paſſionis oſtendi: grandi ſe ſcrupulo per„moveri, quod nihil certi conſtans ſibi majorum memoria tradidiſſet. „Cum aliquamdiu ergo à loco illo ſe abſtinuiſſet, nec derogans religioni, „quia incertus erat: nec auctoritatem ſuam vulgo accommodans, ne „ſuperſtitio convaleſceret: quodam die paucis ſecum adhibitis fratribus, „ad locum pergit. Deinde ſuper ſepulcrum ipſum aſtans, oravit ad Do„minum, ut quis eſſet, vel cujus meriti ſepultus, oſtenderet. Tum con„verſus ad lævam, vidit prope aſiſtere, umbram ſordidam, trucem. Im„perat, nomen meritumque ut loqueretur. Nomen edicit, de crimine „confitetur, *latronem ſe fuiſſe, ob ſcelera percuſſum, vulgi errore celebratum, „ſibi nihil cum Martyribus eſſe commune; cum illos gloria, ſe pœna retineret.* „Mirum in modum vocem loquentis, qui aderant, audiebant, perſonam „tamen non videbant. Tum Martinus, quid vidiſſet, expoſuit: juſſit„que ex eo loco altare, quod ibi fuerat, ſubmoveri: atque ita populum „ſuperſtitionis illius abſolvit errore.“

Multa alia hanc in rem teſtimonia congeſſit magnus ille ſanctorum reliquiarum defenſor & propugnator Ferrandus Diſquiſ. reliquiar. libro 1. cap.

Digitized by Google

cap. 9. art. 2. p. 250. ſeqq. quæ non juvat exſcribere. Igitur *Sanctorum Reliquiis* idem contigit, quod aliis rebus, in quæſtus prædasque converſis, ut jam p. 78. monitum fuit. Sicut enim jam ab antiquiſſimo tempore exſtiterunt *Falſarii*, peſſimum hominum genus, qui inſtrumenta, tabulas, ſigna, teſtimonia, nomina, numos adulterinos, & quævis alia dolo malo ſupponebant *); media autem, & quæ ſubſecuta eſt, ætas in primis falſorum diplomatum fabricatione infamis erat (unde ſuſcepta ſunt *Bella* illa quæ vocantur *diplomatica* **): ita ſimillima & maxime gemina dicas, quæ de *Reliquiarum ſpuriarum confectione & nundinatione* in medium adfert, ſimulque deplorat Ferrandus loco jam excitato; cui omnino jungenda eſt, quæ in Muratorii Antiquitatibus Italiæ Tomo V. legitur, Diſſertatio de Chriſtianorum veneratione erga Sanctos, pag. ſive col. 9. ſeq. ubi ſcribit: *Huic morbo* (quem paulo ante impium quæſtum & abominandam nundinationem vocabat) *medelam paravere non ſemel Summi Pontifices & Concilia: ſed utinam penitus hujusmodi peſtem averterint.* Hinc etiam in Decreto Concil. Trident. ſupra p. 39. adducto verſus f. p. 203. cautum fuit: „Omnis porro ſuperſtitio in Sanctorum inuocatione, Reliquiarum uenera„tione & imaginum ſacro uſu tollatur; omnis *turpis quæſtus* eliminetur„ & poſt quædam interpoſita de procaci venuſtate imaginum ex templis proſcribenda, extremum ſubjicitur: „nec nouas Reliquias recipiendas, niſi „eodem recognoſcente & approbante Epiſcopo. qui ſimulatque de iis ali-

„quid

*) Vid. Tit. D. de lege Cornelia de falſis; Jul. Paulus Sentent. recept. libro V, 25. apud Schulting. in Jurispr. Ante-Juſtin. p. 513. ſeq., Sueton. in vita Neronis, cap. 17.

**) Enarrata à Baringio in Clave diplom. edit. 2. p. 12-17. & p. 26-53. Conf. Præfatio noſtra ad I. L. Waltheri Lexicon diplom. fol. a. 2. ubi oſtendimus, non ideo omnibus ſinceris diplomatibus fidem denegandam eſſe, quod tenebriones male feriati multa ſpuria olim ſuppoſuerunt; unde odium ipſius rei, quod hominum eſſe debebat. Nam ab ejusmodi fraudibus atque fallaciis nihil unquam ſatis tutum fuit.

Digitized by Google

„quid compertum habuerit; adhibitis in conſilium Theologis, & aliis piis „uiris, ea faciat, quæ ueritati, & pietati conſentanea iudicauerit." Quod „ſi aliquis dubius, aut difficilis abuſus ſit extirpandus; uel omnino aliqua „de iis rebus grauior quæſtio incidat; Epiſcopus, antequam controuerſiam „dirimat, Metropolitani, & comprouincialium Epiſcoporum in Concilio „prouinciali ſententiam expectet; ita tamen, ut nihil, inconſulto Sanctiſſimo „Romano Pontifice, nouum, aut in Eccleſia hactenus inuſitatum de„cernatur."

Utrum vero huic legi ubique terrarum mos ſemper geſtus ſit, eſt quod ab aliis edoceri velim; Muratorius ſaltem, quem modo excitavimus, hic hæſitat & fluctuat, optanti ſimilior quam affirmanti.

§. III.

Argumentum.

Pro *Reliquiarum ſanctarum* fide adſtruenda & probanda regulas quasdam excogitavit *Ferrandus*, ad quas æſtimanda ſit illa & ponderanda: eæque in ἐπιτομὴν redactæ hic proponuntur. Dubitare tamen licet, an ipſe *Ferrandus* haſce regulas habuerit certas atque exploratas: e. g. quæ *de præputio Chriſti*, in tot locis obvio & tamen ſincero, commentatus eſt; quod Pont. M. Benedictus XIV. tandem uni loco aſſignavit. —— *Epilogus.*

Ne vero, quidquid de *SS. Reliquiis* memoriæ proditum eſt, in ſuſpicionem falſi ſemel ſimulque caderet: omnes ingenii nervos intendit *Joannes Ferrandus*, Ignatianæ familiæ quondam decus apud Lugdunenſes, ut regulas quasdam præſcriberet, ad quas, tanquam ad lapidem Lydium, *probatio Reliquiarum* inſtitui poſſit. Quum ejus liber, inſcriptus: *Diſquiſitio reliquiaria, ſive de ſuſpicienda, & ſuſpecta earundem numero Reliquiarum, quæ in diuerſis Eccleſiis ſeruantur, multitudine*, paucorum manibus hodie verſetur, haud dubie erunt, qui regulas illas in ἐπιτομὴν redactas videre cupient. Sunt quæ ſequuntur: Pag. 279, ſeq. adſtruit, non opus eſſe, ut veterum Reliquiarum (e. g. Chriſti, Deiparæ virginis & Apoſtolorum) iden-

Digitized by Google

identitas denuo probetur, quippe quæ in re tam pia recte præſumatur, quia ſecundum Baldum (Conſil. 265.) *difficilis dicitur probationis identitas in antiquis;* multo magis in antiquiſſimis, hoc eſt in rebus à memoria noſtra remotiſſimis, quibus tamen adverſum extat nihil: idem enim quod olim fuit, hodie pariter (ex ſententia Maſcardi Conclus. 873. N. 1. de Probat.) exiſtere præſumi, niſi directo, vel oblique id ipſum vel in ſe, vel ſaltem in loco, ubi hactenus conſtiterat, probetur deſiiſſe. Deinde (auctoritate Cardinalis Tuſchi tom. 4. pract. Conſil. Jur. verb. *Ident.* Conclus. 4. n. 1.) perhibet, *non eſſe neceſſarium ut probetur identitas, quando concurrunt tot circumſtantiæ ex quibus hæc judicari debeat;* præcipue (quod pluribus perſequitur p. 281. ſeq.) ubi vel conſtans ac diuturna Eccleſiæ univerſalis, aut cujuspiam particularis acceſſerit *Traditio,* cujus præſidio, ac longa complurium ſæculorum ſerie jam pridem eadem fuerit ſatis ſuperque confirmata; qualis etiam in rebus profanis admittitur: Rem vero extra controverſiam poni, ſi antiquiſſimæ membranæ ex Archivis depromtæ idem confirment, quibus fidem adhibendam eſſe omnia jura præcipiunt.

Poſt hæc Ferrandus libro II. p. 364. ſeqq. dedita opera agit *de modis veras reliquias à falſis ſecernendi;* triplicemque ad hoc viam oſtendit: primam inſtitui per humana præſidia; ſecundam per divina; tertiam per eadem conjunctim ſumta. Humana præſidia ad ſequentia momenta revocat: ad Reliquiarum ipſarum affectiones; tabularum & titulorum auctoritatem; conſtantem famam; proborum hominum teſtificationes; Eccleſiarum antiquam traditionem; Regum, Epiſcoporum & Pontificum reſcripta, nec non Viſitationum Epiſcopalium commentarios; picturas veteres, & ſacra ſigna templorum parietibus appicta, affixa, ſuſpenſa. His addit preces*), jejunia, & reliquas corporis afflictationes. quæ omnia deinde ſingulari-

*) Hiſce effectum perhibet Sulpicius Severus, ſupra p. 90. excitatus, ut latronis cujusdam, inter Sanctos relati, reliquiæ ex eccleſia ejicerentur.

gularibus capitibus operoſe perſequitur Ferrandus. Inter affectiones p. 371. ponit ſuavem quendam & divinum nullaque arte factum odorem, quem multa Sanctorum corpora & oſſa exhalent. Veruntamen quia (ut p. 412. contendit) ad Reliquiarum veritatem indagandam & conſequendam perparum conferant humana adjumenta, niſi acceſſerint divina, (namque uſque adeo id negotii perplexum, anceps, & in lubrico eſſe fatetur) in ſequentibus exponit *mirabiles SS. Reliquiis affuſas dotes:* quales ſint in multis Sanctorum corporibus *impaſſibilitas,* p. 414. (ſive, ut hoc vocabulum explicatur, qualitas à Deo indita, qua corpora permaneant integra, & ab interitu vindicata); *Claritas* & *inſignis ſplendor; Agilitas,* & *ſubtilitas.* quæ deinde per exempla eundo copioſe explicat Ferrandus, apud ipſum videnda; uti &, quæ pro evincenda Reliquiarum veritate p. 422. ſeqq. adducit, *Miracula & oracula cœlitus miſſa.*

Facile quidem largimur Ferrando, inter ea, quæ ex probatis Eccleſiæ ſcriptoribus ideo profert teſtimonia, exſtare permulta, non accenſenda fabulis Mileſiis, ſed quæ fidem & aſſenſum jure exigant (id quod etiam inter alios affirmat Theologus & Hiſtoricus excellenter doctus Caſpar Sagittarius in præclaro libro de Martyrum natalitiis in primitiva eccleſia, Cap. IV. §. 6. & 7.): attamen dubitare licet, iterumque dubitare, an multa, quæ in materia tam late longeque diffuſa, difficili ac ſcopuloſa, aliis perſuadere ſuſtinet Ferrandus, ipſe ſibi probare potuerit. Exempli cauſſa modo evolvantur, quæ ille libro 1. cap. 1. p. 7. ſeqq. *de earundem Reliquiarum à divina vi ſecundum entitatem & virtutem multiplicatione & replicatione* in medium adfert, ut argumento ab omnipotentia & bonitate Dei petito evincat, unam eandemque rem ſimul in diverſis locis ſupereſſe poſſe, v. c. *Servatoris præputium*; cui ideo p. 12. hæc loca aſſignantur: in Italia Lateranum, & Calcata; in Galliis Anicium, Veſontio, Carolium; in Belgio Antverpia; in Germania Hildeshemium; in Lotharingia Nancæium. Quandoquidem vero pinguis fragransque rhetoricis unguentis ora-

Digitized by Google

oratio, ſed probationibus firmiſ & gravibus deſtituta, ſeveriorum judicum aſſenſione comprobari non ſolet: hic ſane illud: *ne quid nimis*, ante oculos non póſuit Ferrandus, nec memoria tenuit præclara illa Plutarchi de miraculis & prodigiis, in Camillo, cap. 6. (edit. Reiskii vol. 1. p. 514.) ubi: *τοῖς τοιούτοις καὶ τὸ πιστεύειν σφόδρα, καὶ τὸ λίαν ἀπιστεῖν, ἐπισφαλές ἐστι. διὰ τὴν ἀνθρωπίνην ἀσθένειαν, ὅρον οὐκ ἔχουσαν, οὐδὲ κρατοῦσαν αὐτῆς, ἀλλ' ἐκφερομένην ὅπου μὲν εἰς δεισιδαιμονίαν καὶ τῦφον, ὅπου δ' εἰς ὀλιγωρίαν τῶν θείων καὶ περιφρόνησιν. ἡ δ' εὐλάβεια, καὶ τὸ μηδὲν ἄγαν, ἄριστον.* *Fidem iis* (loquitur de miraculis & prodigiis) *adhibere, vel detrahere nimiam, periculoſum eſt humanam ob imbecillitatem, quæ nullis certis circumſcripta cancellis eſt, neque ſui compos, ſed recidit modo in ſuperſtitionem & vanitatem, modo in divinorum neglectum & faſtidium. Præſtat autem cautio & mediocritas.* Sed non eſt, ut Plutarchum advocemus, quum ſæculi IV. ſcriptor Titus, Boſtrenſium in Arabia Epiſcopus, ab ipſo Ferrando excitatus, arbitretur: *illos, qui de circumciſi præputio quæſtionem movent, anxieque & curioſe, quid de eo factum ſit, diſputant, veluti circa certa, plan'que incerta occupari.* Veruntamen Benedictus XIV. P. M. in libro, quem jam p. 28. laudavimus, de ſervorum Dei beatificatione, p. 803. ſeq. ne memoratis quidem argutiis Ferrandi (etſi hujus ſententiam in aliis ſæpe ſequitur) illud *κειμήλιον* ex urbis Romæ ſacrario, *Sancta Sanctorum* vocato, A. 1527. ſacrilega impiaque manu ablatum fuiſſe docet, hodieque in eccleſia oppidi *Calcatæ* aſſervari declarat, rejectis quibuscunque aliis locis idem ſibi vindicantibus, atque à Bollando in Actis SS. a. d. 1. Januar. p. 4. indicatis. Plura hanc in rem & alia quibus ea, quæ paulo ante ex Ferrando retulimus, partim emendantur, partim augentur & illuſtrantur, videri poſſunt apud ipſum Pontificem in excitato libro, cap. 24. ſeq.

Verum æque in his, atque in ceteris omnibus hactenus expoſitis, ſuum cuique judicium ſalvum eſto & incolume: ſive is, expers omnis Amoris, *Reliquiarum cultum* (modo faceſſat ſileatque illiberalis & impia contemtio) ne-

negandum exiſtimet; ſive hunc (modo ne evadat anilis & contaminata ſuperſtitio) propugnet tanquam rem ad aras & focos pertinentem. Recordemur enim quæ S. Paulus ad Romanos ſcribit, cap. XIV.: id quod, & in hoc verſum XIX., tam accuſatoribus quam defenſoribus, nimium litigioſis & ad rixam alte cinctis, de meliore nota commendamus.



IN-

Digitized by Google

INDEX AVCTORVM

SCRIPTORVMQVE PRAECIPVORVM QVIBVS VSI SVMVS.

A.

ACHILLIS Tatii Eroticôn, ſive de Clitophontis & Leucippes amoribus, libri VIII. Gr. & Lat. Cura B. G. L. Boden. Lipſiæ 1776. 8.

——— Edit. Leidenſis, A. 1640. 12.

ACTA SANCTORVM, menſ. Januar. auctore Bollando. Antverpiæ 1643. *Fol.*

——— Aprilis, Tomus III. ibid. 1675.

ALLATII, Leonis, Notæ ad Philonem Byzantium de VII. orbis ſpectaculis. in Gronovii Theſauro Græcarum antiquitatum, vol. VIII.

AMADUTII Vetera Monumenta. Vid. Venuti.

AMBROSII, Mediolanenſis Epiſcopi, Opera. II. volumina, V. Tomi. Lutetiæ Pariſiorum 1661. *Fol.*

AMMIANI Marcellini Rerum geſtarum qui de XXXI. ſuperſunt, libri XVIII. Cura Jacobi Gronovii. Lugd. Batav. 1693. in 4.

APULEII Metamorphoſeos libri XI. cum annott. Joannis Pricæi. Goudæ 1650. 8.

ARINGHI, Pauli, Roma ſubterranea noviſſima. II. Voll. Romæ 1651. *Fol.* cum figg. æneis.

ATHANASII Opera omnia quæ extant. Tomi II. Pariſiis 1698. *Fol.*

AUGUSTINI, Hipponenſis Epiſcopi, Opera, X. Tomis comprehenſa. Pariſiis 1586. *Fol.*

AULISI, Dominici, de Mauſolei architectura Commentarium. apud A. H. de Sallengre in novo Theſauro antiquitatum Romanarum Tomo III.

AUSONII Panegyricus Gratiano Imp. dictus. inter XII. Panegyricos veteres, N. XI. cura C. Cellarii. Halæ Magdeb. 1703. 8.

B.

BARONII, Cæſaris, Annalium eccleſiaſticorum Tomus III. Moguntiæ 1601. *Fol.* Tomus IV. ibid. eod. Tomus IX. ibid. eod.

BASILICÔN libri LX. in VII. Tomos diviſi. Cura Caroli Annibal Fabroti. Pariſiis 1647. *Fol.*

BELLARMINI, Roberti, Opera omnia, in VII. Tomos diſtributa. Coloniæ Agrippinæ 1620. *Fol.* Tomo II. p. 763. ſeqq. ineſt Liber *de Reliquiis & imaginibus Sanctorum:* Tomo VII. *de Scriptoribus eccleſiaſticis* liber.

BENEDICTI XIV. Pontificis Max. Opera, in XII. Tomos diſtributa. *Fol.* Tomus I. Romæ 1747. Tomus IV. ibid. 1749.

Digitized by Google

BERTRANDI, Joannis (item Bernardini Rutilii & Guilielmi Grotii) Vitæ Juriſconſultorum veterum, editore J. C. Franck. Halæ Magdeb. 1718. 4.

BIBLIA SACRA vulgatæ editionis Sixti Quinti P. M. juſſu recognita atque edita. Antverpiæ 1619. 8.

BOËTHII, Anicii, Conſolationis Philoſophiæ libri V. Lugd. Bat. 1656. 8.

BOISSARDI, Joan. Jacobi, Antiquitatum Romanarum Tomus III. ſive pars V. Francof. 1600. *Fol.*

BOSII, Jo. Andreæ, de Pontifice Maximo Romæ veteris, exercitatio hiſtorica. *Ejusdem* de Pontificatu maximo Impp. Romanorum præcipue Chriſtianorum, exercitatio altera. Apud Grævium in Theſ. Antt. Rom. Tomo V. p. 225. ſeqq.

BRISSONII, Barnabæ, ſelectæ ex Jure civili antiquitates. ſeorſim ſæpe excuſæ. exſtant etiam inter ejus *Opera minora varii argumenti*, edita ab Alb. Dieterico Trekell. Lugd. Bat. 1749. *Fol.*

C.

CALLIMACHI Hymni, Epigrammata & Fragmenta. Ex recenſione Grævii. Ultrajecti 1697. 8.

CASSANDRI, Georgii, Opera. Pariſiis 1616. *Fol.*

CAUSSINI, Nicolai, de Eloquentia ſacra & humana libri XVI. Coloniæ Agrippinæ 1634. 4.

CIAMPINI, Joannis, Vetera monimenta. Pars I. cum figg. æn. Romæ 1690. *Fol.*

CICERONIS Epiſt. *ad Famil.* cura Grævii, Tomi II. Amſtelod. 1677. 8. —— *Ad Atticum*, II. Tomi. cura Grævii ibid. 1684. 8. —— *de Officiis* libri tres; item *de Senectute*, & *Amicitia.* edit. Grævii, ibidem 1688. 8. —— *de Natura Deorum* libri tres. cura J. Daviſii, Cantabrigiæ 1733. 8. —— *Tuſculanarum diſputt.* libri V. ibid. 1738. 8. —— *Academica.* ibid. 1736. 8. —— *de Legibus* libri tres. ibid. 1745. 8. —— libri *de Divinatione* & de *Fato.* ibid. 1721. 8. —— *de Finibus bonorum & malorum* libri V. ibid. 1728. 8.

CODEX THEODOSIANUS, cum commentariis Jacobi Gothofredi. VI. Tomi. Lugduni 1665. *Fol.*

CONCILIUM TRIDENTINUM. Canones, & Decreta ſacroſancti œcumenici, & generalis *Concilii Tridentini* ſub Paulo III, Julio III, Pio IIII, Pontificibus Max. Index Dogmatum, & Reformationis. Romæ, apud Paulum Manutium, Aldi F. in ædibus Populi Romani. 1564. *Fol.* *)

*) Hæc editio conſtat 239. paginis. Exemplar Bibliothecæ Regiæ Hanoveranæ, in averſa parte ultimi folii firmatum eſt ipſis chirographis *Secretarii Concilii*, nec non duorum ejuſdem Concil. *Notariorum*, quorum nomina pag. 238. (ſic pro 228 numerandum eſt) produntur.

CUPERI, Giſberti, Numiſmata antiqua explicata. in Poleni Supplementis Græcarum & Rom. antiqq. Vol. II.

D.

Digitized by Google

D.

DALLAEI, Joannis, de Imaginibus libri IV. Lugduni Batav. 1642. 8.

——— Diſputatio adverſus Latinorum de cultus religioſi objecto traditionem. Genevæ 1664. 4.

DIONIS-CASSII Hiſtoriæ Romanæ volumen I. edit. Herm. Sam. Reimari. Hamburgi 1750. *Fol.*

S. DIONYSII Areopagitæ Opera. cum ſcholiis S. Maximi & paraphraſi Pachymeræ, à Balthaſare Corderio Latine interpretata & notis theologicis illuſtrata. II. Tomi. Antverpiæ 1634. *Fol.*

DONII, Jo. Baptiſtæ, Inſcriptiones antiquæ, curante Ant. Franc. Gorio. Florentiæ 1731. *Fol.*

E.

EPIPHANII (Conſtantiæ, ſive Salaminis in Cypro Epiſcopi) Opera omnia in duos Tomos diſtributa. Gr. & Lat. cura Dionyſii Petavii. Pariſiis 1622. *Fol.*

EPISTOLAE illuſt. & clarorum virorum ſelectiores, ſeculo XVI. ſcriptæ, vel à Belgis vel ad Belgas, tributæ in centurias II. curante Daniele Heinſio. Lugd. Bat. 1617. 8.

EVAGRII Scholaſtici Epiphanienſis, Eccleſiaſticæ hiſtoriæ libri VI. Henrico Valeſio interprete. Auguſtæ Taurinorum 1748. *Fol.*

EUNAPIUS, Sardianus, de vitis Philoſophorum & Sophiſtarum, interprete Hadriano Junio. Antverpiæ 1568. 8. item cura Hieronymi Commelini, A. 1596. 8.

EURIPIDIS Tragœdiæ, cum Latina interpretatione Guilielmi Canteri. excudebat Paulus Stephanus, A. 1602. *Fol.*

EUSEBII, Pamphili (ſive Cæſarienſis) Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ libri X. Gr. & Lat. Cura Henrici Valeſii. Pariſiis 1659. *Fol.*

F.

FABRETTI, Raphaëlis, Inſcriptiones antiquæ. Romæ 1702. *Fol.*

FERRANDI, Joannis, Diſquiſitio Reliquiaria: ſive de ſuſpicienda, & ſuſpecta earumdem numero Reliquiarum, quæ in diverſis Eccleſiis ſervantur, multitudine. Lugduni 1647. 4.

FERRETII, Joannis Baptiſtæ, Muſæ lapidariæ antiquorum in marmoribus carmina. Veronæ 1672. *Fol.*

FORNERII, Radulphi, Rerum quotidianarum libri ſex. apud Everardum Ottonem In Theſauro Juris Romani, Tomo II. p. 125. ſeqq.

DU FRESNE (Caroli, Domini du Cange) Gloſſarium ad Scriptores mediæ & infimæ Latinitatis. VI. Tomi. Pariſiis 1733-1736. *Fol.*

——— Gloſſarium ad Scriptores mediæ & infimæ Græcitatis. II. Tomi. Lugduni 1688. *Fol.*

G.

GELLII, Auli, Noctium Atticarum libri XX. edit. Gronoviana, cura J. L. Conradi recuſa Lipſiæ 1762. 8.

GORII, Antonii Franciſci, Inſcriptiones antiquæ in Etruriæ urbibus exſtantes. Pars I. Florentiæ 1727. *Fol.*

——— Monumentum, ſive Columbarium libertorum & ſervorum Liviæ Auguſtæ & Cæſarum. Ibid. eod. a. *Fol.*

GOTHOFREDI, Jacobi, Epiſtola de interdicta Chriſtianorum cum Gentilibus communione. Genevæ 1654. 4.

——— Codex Theodoſianus. Vid. Codex.

GRAEVII, Jo. Geo. Theſaurus antiquitatum Romanarum, Tomus V. Lugd. Bat. 1696. *Fol.* Tomus XII. ibid. 1699. *Fol.*

GREGORII, Epiſcopi Turonenſis, Opera omnia. cura Theoderici Ruinart. Lutet. Paris. 1699. *Fol.*

——— Papæ (hujus nominis primi, cognomento Magni) Opera omnia. Tomi II. Pariſiis 1586. *Fol.*

GRETSERI, Jacobi, Opera omnia de Sancta Cruce. Ingolſtadii 1616. *Fol.*

GRONOVII, Jacobi, Theſaurus Græcarum antiquitatum. Volumen VIII. Lugd. Bat. 1699. *Fol.* Volumen XI. ibid. 1701.

GROTII, Hugonis, Opera theologica. Tomus IV. Baſileæ 1732. *Fol.*

GRUTERI, Jani, Corpus Inſcriptionum, ex recenſione & cum annotationibus J. G. Grævii, Amſtelædami 1707. *Fol.*

GUDII, Marquardi, antiquæ Inſcriptiones, editæ à Franciſco Heſſelio. Leovardiæ 1731. *Fol.*

GUTHERII, Jacobi, de veteri jure Pontificio urbis Romæ. libri IV. apud Grævium in Theſauro Antiqq. Romanar. Tomo V. ab init.

——— de Jure Manium, ſeu de ritu, more & legibus priſci funeris, libri tres. Lipſiæ 1671. 8. item apud Grævium in Theſ. antiqq. Rom. T. XII. p. 1077. ſeqq.

GYRALDI, Lilii Gregorii, de ſepulchris & vario ſepeliendi ritu liber ſingularis. in Boiſſardi antiquitatum Roman. ſive Inſcriptionum Tomo IV. ab init. item in Gaudentii Roberti Miſcellaneis Italicis eruditis T. III. p. 350. ſeqq.

H.

HANSCHII, M. G. Diatribe de Enthuſiaſmo Platonico. Vid. Leibnitius.

HEINECCII, Jo. Gottl. Opera conjunctim edita. Tomus II. Genevæ 1746. 4.

HERCULANUM. Catalogo degli antichi Monumenti diſſoterati dalla diſcoperta Città di Ercolano. Compoſto e ſteſo da Mſr. Ottavio Antonio Bayardi. In Napoli 1755.

Digitized by Google

1755. —— Le *Pitture* antiche d'Ercolano e contorni inciſe con qualche Spiegazione IV. Voll. Napoli 1757-1765. ——. De '*Bronzi* di Ercolano e contorni inciſi. Tomo I. *Buſti.* ibid. 1767. Tomo II. *Statue.* ibid. 1771. *Fol. max.*

HERODIANI Hiſtoriarum libri VIII. Gr. & Lat. Oxoniæ 1678. 8. item Argentorati 1662. 8.

HERODOTI Halicarnaſſei Hiſtoriarum libri IX. Gr. & Lat. edit. Th. Gale. Londini 1679. *Fol.*

HIERONYMI, Stridonienſis, Epiſtolarum Tomi II. Pariſiis 1578. *Fol.*

HISTORIAE Auguſtæ Scriptores VI. Tomus I. Lugd. Bat. 1671. 8.

HOMERI Opera. edit. Steph. Bergleri. Amſtelod. 1707. 12.

I.

JOSEPHI, Flavii, Opera omnia, Gr. & Lat. cura Sigeberti Havercampi, II. Tomi. Amſtelodami 1726. *Fol.*

S. IRENAEI (Lugdunenſis Epiſcopi & Martyris) Adverſus Valentini & ſimilium Gnoſticorum Hæreſes, libri V. ſtudio & opera Franciſci Feu-ardentii. Lutetiæ-Paris. 1639. *Fol.*

—— Gr. & Lat. cum notis Jo. Ern. Grabe. Oxoniæ 1702. *Fol.*

S. JVSTINI, Philoſophi & Martyris, Opera. Gr. & Lat. cura Fed. Morelli. Pariſiis 1636. *Fol.*

—— Apologiæ duæ, & Dialogus cum Tryphone Judæo. Cum notis & emendationibus Styani Thirlbii. Londini 1722. *Fol.*

K.

KIRCHMANNI, Johannis, de Funeribus Romanorum libri IV. Francofurti 1672. 8.

L.

LAURENTIUS, Joſephus, de Funeribus antiquorum. in Gronovii Theſ. Græcarum antiqq. Vol. XI. p. 1165. ſeqq.

LEIBNITII, Godefr. Guil., Codex Juris Gentium diplomaticus. Hanoveræ 1693. *Fol.*

—— Epiſtola (ſcripta A. 1710.) præmiſſa M. G. Hanſchii Diatribæ de Enthuſiaſmo Platonico. Lipſiæ 1716.

—— Otium Hanoveranum, ſive Miſcellanea Leibnitii, edita à J. F. Fellero. Lipſiæ 1718. 8.

LUCIANI Samoſatenſis Opera. cura J. G. Grævii, Gr. & Lat. II. Tomi. Amſtelod. 1687. 8.

—— Cura Tiberii Hemſterhuſii, J. M. Gesneri & Jo. Fred. Reitzii. III. Tomi Amſtelod. 1743. 4.

LUCRETII de rerum natura libri ſex. cura Thomæ Creech. Baſileæ 1770. 8.

Digitized by Google

M.

MAFFEII, Scipionis, Muſeum Veronenſe. Veronæ 1749. *Fol.*
MALVASIAE, Caroli Cæſaris, Marmora Felſinea. Bononiæ 1690. *Fol.*
MARTIALIS Epigrammata. Amſtelædami 1701. 8.
MAXIMI Tyrii Diſſertationes. ex recenſione Jo. Daviſii & Jér. Marklandi. Londini 1740. 4. Recuſæ cura Jo. Jacobi Reiske, Lipſiæ 1774. & ſeq. 2. Voll. 8.
MEURSII, Joannis, de Funere liber ſingularis, in quo Græci & Romani ritus. apud Gronovium in Theſ. Græc. antiqq. vol. XI. p. 1073. ſeqq.
M. MINUCII Felicis Octavius. ex recenſione J. Gronovii. Lugd. Bat. 1709. 8.
DE MONTFAUCON, Bernardi, Diarium Italicum. Pariſiis 1702. 4.
——— l'Antiquité expliquée & repreſentée en figures. Tome V. premiere partie. ibid. 1722. *Fol.*
——— Supplement au livre de l'Antiquité expliquée. Tome V. ibid. 1724. *Fol.*
MORESTELLI, Petri, Pompa feralis, ſive juſta funebria veterum, libri decem. In Grævii Theſ. antiqq. Rom. Tomo XII. pag. 1352. ſeqq.
MURATORII, Ludov. Anton, Anecdota ex Ambroſianæ bibliothecæ codicibus. Tomi II. Mediolani 1697. 4.
——— Novus Theſaurus veterum Inſcriptionum. Tomi IV. ibid. 1739-1742. *Fol.*
——— Antiquitates Italiæ. Tomus V. ibid. 1741. *Fol.*

N.

NICEPHORI, Calliſti f., Eccleſiaſticæ hiſtoriæ libri XVIII. in duos Tomos diſtinct. Gr. & Lat. cura Joannis Langi, & Frontonis Ducæi. Lutetiæ Paris. 1630. *Fol.*
DE NIEDEK, Matthæi Brouërii, Diſſertatio de Populorum veterum ac recentiorum Adorationibus. Amſtelædami 1713. 8. Recuſa in Poleni Theſauro Antiqq. Rom. & Græc. T. II.
NONIUS Marcellus de proprietate Sermonum. Antverpiæ 1565. 8.
NOODT, Gerardi, Operum omnium Tomus II. continens Commentarium ad Juſtiniani libros XXVII. Digeſt. ſive Pandect. Lugd. Bat. 1735. *Fol.*

O.

OTTONIS, Everardi, Theſaurus Juris Romani. Tomus II. Trajecti ad Rhenum 1733. *Fol.*
——— Papinianus. Bremæ 1743. 8.

P.

PAGI, Antonii, Critica hiſtorico-chronologica in univerſos Annales eccleſiaſticos Cæſaris Cardinalis Baronii. Lutetiæ Paris. 1689. *Fol.*
PASCHALII, Caroli, Coronæ. Libri X. Pariſiis 1610. 4.

PATINI,

Digitized by Google

PATINI, Caroli, Commentarius in antiquum monumentum Marcellinæ (*ſacerdotis Veneris cœleſtis*) è Græcia allatum. Patavii 1688. 4. Recuſus in Poleni Theſ. antiqq. Græc. & Rom. Vol. II. p. 1059. ſeqq.

PAULINI, Epiſcopi Nolani, Poëmata; apud Muratorium Anecdotorum Bibliothecæ Ambroſianæ T. I.

PETRONII, Arbitri, Satyricôn quæ ſuperſunt. Curante P. Burmanno. Edit. II. Amſtelod. 1743. II. Voll. 4.

PHILOSTORGII, Cappadocis, Eccleſiaſticæ hiſtoriæ libri XII. editi à Jacobo Gothofredo. Genevæ 1643. 4.

PLATONIS Opera omnia quæ exſtant, Marſilio Ficino interprete. Francof. 1602. *Fol.*

PLINII, Secundi, Nat. Hiſt. libri XXXVII. Tomi III. cura J. F. Gronovii. Lugd. B. 1669. 8.

——— cura Joannis Harduini. Tomi II. Pariſiis 1723. *Fol.*

——— Epiſtolarum libri X. curante J. Veenhuſio. Lugd. Bat. 1669. 8.

PLUTARCHI Opera Gr. & Lat. cura J. J. Reiske. Lipſiæ 1774-79. XI. Voll. 8.

PRIDEAUX, Humphridi, Marmora Oxonienſia, ex Arundellianis, Seldenianis, aliisque conflata. Oxonii 1676. *Fol.*

Q.

QUENSTEDII, Joh. Andreæ, Sepultura veterum, ſive Tractatus de antiquis ritibus ſepulcralibus Græcorum, Romanorum, Judæorum & Chriſtianorum. Wittebergæ 1660. 8. Recuſus in Gronovii Theſ. antiqq. Græc. Vol. XI. p. 1201. ſeqq.

R.

REINESII, Thomæ, Syntagma Inſcriptionum antiquarum. Lipſiæ 1682. *Fol.*

ROBERTI, Gaudentii, Miſcellanea Italica erudita. Tomus III. Parmæ 1691. 4.

RUBENII, Philippi, Electorum libri II. Antverpiæ 1608. 4.

S.

SAGITTARII, Caſparis, de Martyrum Natalitiis in primitiva Eccleſia liber. Edit. 2. Francof. 1696. 4.

SALLENGRE, Alb. Henrici, Novus Theſaurus antiqq. Rom. Tomus III. Hagæ-Comitum 1719. *Fol.*

SCALIGERI, Jul. Cæſ. Poëmata. ſine loco; apud Petrum Santandreanum. 1591. 8.

SCHULTINGII, Antonii, Jurisprudentia vetus ante-Juſtinianea. Lugd. Bat. 1717. item Lipſiæ 1737. 4.

SENECAE Opera. II. volumina. Lugd. Bat. 1619. 8.

SOCRATIS Scholaſtici, & Hermiæ Sozomeni Hiſtoria eccleſiaſtica. cura Henrici Valeſii. Moguntiæ 1677. *Fol.*

SOZOMENI Hiſtoria eccleſ. Vid. Socrates.

SPANHEMII, Ezech., Diſſertationum de præſtantia & uſu Numiſmatum antiquorum, volumen II. Opus poſthumum, cura Iſaaci Verburgii. Amſtelod. 1717. *Fol.*

SPONII

Digitized by Google

SPONII, Jacobi, Miſcellanea eruditæ antiquitatis. Lugduni 1685. *Fol.*

STOBAEI, Johannis, Loci communes ſacri & profani. Francofurti 1581. *Fol.*

STRABONIS Rerum geographicarum libri XVII. Gr. & Lat. editi à Theod. Janſonio ab Almeloveen. Tomi II. Amſtelod. 1707. *Fol.*

SUETONIUS, C. Tranq., ex recenſione J. G. Grævii. Trajecti ad Rhenum 1708. 4.
——— cum animadverſ. J. A. Erneſti. Lipſiæ 1748. 8.

SUIDAE Lexicon. Gr. & Lat. III. voll. cura Ludolphi Küſteri. Cantabrigiæ 1705. *Fol.*

SULPICII Severi Opera omnia. curante Georgio Hornio. Amſtel. & Lugd. Bat. 1665. 8.

SYMMACHI, Quinti Aurelii, Epiſtolarum libri X. cura Fr. Jureti. Pariſiis 1604. 4.

T.

TACITI, C. Cornelii Opera omnia. cura J.F. & Jacobi Gronovii, II. Tomi. Amſtel. 1672. 8.

TAURELLII, Franciſci, Digeſtorum ſeu Pandectarum libri L. ex Florentinis Pandectis repræſentati. Florentiæ 1553. (in officina Laurentii Torrentini Ducalis typographi) *Fol.*

TERTULLIANI (Presbyteri Carthaginienſis) Opera. curante Joanne Ludovico de la Cerda. Lutetiæ Pariſiorum 1624. *Fol.*

THEODOSIANUS Codex. Vid. Codex.

DE TILLEMONT, Lenain, Memoires pour ſervir à l'Hiſtoire eccleſiaſtique. Tome I. à Veniſe 1732. 4.

TRIDENTINUM Concilium. Vide Concilium.

V.

VALERII Flacci Argonauticôn libri octo. curante Petro Burmanno. Leidæ 1724. 4.

VENUTI, Rodulphini, & Joannis Chriſtophori Amadutii, Vetera monumenta quæ in hortis Cœlimontanis & in ædibus Matthæiorum adſervantur, III. volumina. Romæ 1779. *Fol.*

VICTORIS (S. Aurelii) Hiſtoria Romana, ex recenſione J. F. Gruneri. Coburgi 1757. 8.

VIGNOLII, Joannis, de columna Imperatoris Antonini Pii diſſertatio. Accedunt antiquæ inſcriptiones ſelectæ. Romæ 1705. 4.

VRSATI, Sertorii, Monumenta Patavina. Patavii 1652. *Fol.*

VULPII, Joſephi Rocci, Vetus Latium profanum. Tomus X. Romæ 1745. 4.

W.

WALTHERI, Joannis Ludolfi, Lexicon diplomaticum &c. cum præfatione J. H. Jungii. Gottingæ 1747. *Fol.*

WINCKELMANN, Giovanni, Monumenti antichi inediti ſpiegati ed illuſtrati. II. Voll. Romæ 1767. *Fol.*

Z.

ZOSIMI Hiſtoriæ novæ libri ſex. Oxonii 1679. 8. item accurante Chriſtophoro Cellario. Cizæ eod. a. 8.

LIPSA-

Digitized by Google

LIPSANOGRAPHIA
SIVE
THESAVRVS
RELIQVIARVM
ELECTORALIS
BRVNSVICO - LVNEBVRGICVS

EDITIO QVARTA

ANIMADVERSIONIBVS AVCTA

ET FIGVRIS AENEIS ILLVSTRATA.

HANOVERÆ A. MDCCLXXXIII.

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III
NAPOLI

Digitized by Google



LECTORI AEQVO ET ERVDITO

S. D.

JO. HENRICVS JVNG.

Etſi *vir dum viveret celeberrimus* GERARDUS MOLANUS *nomen ſuum huic* Lipſanographiæ *non appoſuit: notum tamen eſt atque teſtatum, illum eſſe hujus libelli auctorem. Hoc inter æquales ejus & ſingulares amicos perhibet Vir ſummus G. G. Leibnitius in Præfat. ſive Introduct. in T. II. Script. rer. Brunſv. N. IX. p.* 11. *verbis:* Sanctorum reliquiarum indicem peramplum R^{mus} vir Gerardus Molanus, Abbas Luccenſis, primarius Electoralium ditionum Theologus, & rerum Eccleſiaſticarum Director, typis edi curavit: *qui etiam ipſi Theſauro Reliquiarum, hic expoſitarum, diu præfuit; demortuus A.* 1722. *d.* 7. *Septembr. Vid.* J. J. von Einem *vita Molani, p.* 63. *ſcripta & edita Germanice, Magdeburgi A.* 1734. *in* 8.

Hic Index primum A. 1697. *in lucem exiit patrio ſermone, ſed præfixa fronte Latine:* Lipſanographia ſive Theſaurus Sanctarum Reliquia-

Digitized by Google

rum Electoralis Brunſvico-Luneburgicus. Hannoveræ Anno MDCXCVII. $7\frac{1}{2}$ *plagg.* 4. *Totus deinde libellus civitate Latina donatus fuit ab Auctore ſuo; idque (ut Baringius in Deſcriptione Salæ Lauenſteinenſis P. II. p.* 201. *ſeq. pluribus affirmat) rogante* Pontifice Maximo Clemente XI., *quæ editio inſcribitur:* Lipſanographia ſive Theſaurus Reliquiarum Electoralis Brunſvico-Luneburgicus. Editio Latina priori Germanica longe auctior & emendatior. Hanoveræ proſtat apud Nicolaum Förſterum, MDCCXIII. 10 *plagg.* 4. *Tertium hic Catalogus prodiit A.* 1724. *eodem fere titulo:* Lipſanographia, ſive Theſaurus Reliquiarum Electoralis Brunſvico-Luneburgicus. Editio Latina recentior, priori Germanica longe auctior & emendatior. Hanoveræ, Anno MDCCXXIV. 12. *plagg.* 4. *typo aliquantum majori.*

Tametſi vero hicce libellus ter, ſicut jam diximus, cum orbe litterato communicari, idemque Bibliothecæ Vaticanæ inſeri meruit: tamen Germaniæ noſtræ fines parum tranſiiſſe videtur, nec per ora hominum exterorum volitaſſe, cum ne quidem ad Hagiographos Antverpienſes *pervenerit: quippe qui, in quinquaginta de* Actis Sanctorum *voluminibus, nullam ejus quod recorder mentionem faciunt: in eodem procul dubio reperturi, quæ vel aſſenſu ſuo comprobaſſent, vel miniatis cerulis notaviſſent, ſuppeditata ad utrumque ampla occaſione. Talis certe mihi ſæpe oblata fuit, partim ex multo iſtius libelli uſu, (qui in demonſtrandis* Reliquiis *loco monitoris eſt vel nomenclatoris) partim ex variis collocutionibus cum eruditis* Reliquiarum *ſpectatoribus. Etenim quam facile ſatisfieri poteſt his qui omnia admirari ſolent, & laudare ſicut pueri Junonis avem: tam difficile nonnunquam eſt, illos dimittere contentos*

tentos

Digitized by Google

tentos, qui ad hujuſcemodi delicias boni antiquarii accedunt, ſcientesque quid diſtent æra lupinis. Quæ cum ita ſint, liceat mihi è medio exemplorum acervo hoc unum producere: Solent Reliquiarum *amatores, antequam de ſingulis diſputatur, ex me audire, præcipuam illarum partem ſæculo XII. ab HENRICO LEONE allatam ex Oriente, & S. Blaſii templo Brunſvigæ conſecratam fuiſſe; de qua re in Obſervatt. ad Præfationem ſequentem pluribus agitur. Ego vero aliquando rogatus à docto ſpectatore, an, præter* Arnoldi Abbatis Lubecenſis *teſtimonium, à Molano in Præfatione excitatum, alia hanc in rem teſtimonia ſuppeterent? Reſpondi, tunc novus cimeliarcha, non aliud præter hoc mihi innotuiſſe. Veruntamen ut poſt neque ita multo comperi, id conſtare etiam fide veterum diplomatum, non pigrabar eadem Abbatis Lubecenſis relationi adjicere.*

Quandoquidem vero illa Lipſanographia *in tabernis librariis diu fruſtra fuit deſiderata; & homines in veteri hiſtoria curioſos de illius raritate crebro conquerentes audivi: ad eandem denuo edendam aggreſſus ſum; idque nunc exſequor hac ratione:*

Primum, quæ hic exhibetur QVARTA EDITIO, *tota ad* TERTIAM *efficta eſt atque excuſa, additis tamen à me* Animadverſionibus, *quæ Hiſtoriæ, præſertim noſtræ & vicinarum regionum, nonnihil lucis concilient, aliove modo proſint aut delectent; ſed iisdem, diſcriminis cauſſa, minori typo deſcriptis, atque aſteriſco, ſive* ſtellulæ * *ſigno, denotatis. Cetera, quæ fuſius explicare & excutere nec vacabat nec intererat, ſuum auctorem teneant.*

Deinde non tam ad ornatum, quam ad quarundam rerum faciliorem intelligentiam, acceſſerunt laminarum ænearum picturæ, *nobiliora cimelia cum*

Digitized by Google

pretioſis eorum thecis & tegumentis quaſi in conſpectu ponentes. Harum quidem non paucæ jam in Originibus Guelficis *exſtant, verum ita collocatæ, ut ideo ad tres primos illarum tomos non ſine moleſtia confugere neceſſe ſit, & tanquam nantes in vaſto gurgite raræ appareant. Has in præſentia, ſed additis iconibus nondum juris publici factis, uno faſciculo propterea includendas ſtatui, quia me gratificaturum rebar non his ſolum qui Originibus Guelficis carent, ſed ipſis etiam tam ponderoſi Operis poſſeſſoribus, jam nunc omnia hujus argumenti in promtu habituris.*

AVCTO-

Digitized by Google

AVCTORIS PRÆFATIO.

LECTORI.

Ex antiquis fideque dignis ſcriptoribus conſtat, glorioſiſſimæ memoriæ Ducem HENRICVM LEONEM, quum anno 1172, Palæſtina & ſancto ſepulchro luſtratis, Brunſuigam rediiſſet, eodem adhuc anno vetuſtum ſancti Petri & Pauli templum in Burgo, quod Danquarderoda iſto tempore dicebatur, ſitum dirui curaſſe, & eccleſiam cathedralem, honori ſancti Johannis baptiſtæ, & ſancti Epiſcopi ac martyris Blaſii, qui anno poſt natum Chriſtum 310. martyrii coronam accepit, dicatam, ædificare cœpiſſe; ſacramque hanc ædem reliquiis, auro, argento, ac gemmis quam ſplendidiſſime exornatis, quas Conſtantinopoli, alibique terrarum acceperat, quasque deinceps etiam comparaverat ſibi, liberaliter ditaſſe.

Vetuſta quædam tabula membranacea, lingua inferioris Saxoniæ conſcripta, quæ in eccleſia cathedrali Brunſvicenſi, e re-

regione ſepulchri ducis HENRICI LEONIS ſuſpenſa eſt, quæque a Madero in antiquitatibus Brunſvicenſibus p. 173. producitur, ſequentia hac de re narrat:

Anno 1030. *templum Danquarderodenſe a Godehardo, decimo quarto Epiſcopo Hildesheimenſi dedicatum eſt in honorem ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli.*

Anno 1172. *Henricus Leo templum vetuſtum Danquarderodenſe in honorem SS. Petri & Pauli dedicatum, demoliri & novum templum,* (quod Germanice in membrana illa vocatur DOHM) *in honorem S. Johannis Baptiſtæ, & S. Blaſii exſtruere fecit.*

Anno 1195. *potens ille & bellicoſus* Princeps, *Dux Henricus Leo, pridie S. Jacobi Apoſtoli mortuus, & in ſuo templo,* (intellige S. Blaſii, quod Germanice vocatur DER DOHM) *ſepultus eſt.*

Quum Dux Henricus Leo pacem cum Slavis feciſſet, & ſuperatis tot periculis, quieti redditus eſſet, conſilium iniit de ſacra peregrinatione ad ſanctum Servatoris noſtri ſepulchrum ſuſcipienda. Quid ei contigerit in profectione iſta, Arnoldus, Abbas Lubecenſis refert in ſupplementis derelictorum Slavicæ hiſtoriæ Helmoldi *) cap. II. his verbis: **) *Confirmata ergo pace*

*) Chronicon Slavorum HELMOLDI, Preſbyteri Boſovienſis, & ARNOLDI Abbatis Lubecenſis (*Henrici Leonis æqualium*) collata cum Corneri Chronico MSčto & ſubinde emendata, exſtant apud Leibnitium Script. Brunſv. Tomo II. pag. 537. ſeqq. Vetuſtiores editiones recenſet Bibliotheca Brunſvico-Luneburgica, N. 224.

**) Apud Leibnitium d. l. p. 630.

Digitized by Google

pace in terra Slavorum, magis ac magis invaleſcebat potentia Ducis ſuper omnes inhabitantes terram, & ſopita ſunt bella civilia, mediante Majeſtate imperatoria, quæ erant inter ipſum & principes Orientales, &c. Dux itaque tanta potitus quiete, tantisque fluctuationum emenſis periculis, tanquam portum ſalutis commodum duxit, pro peccatis ſuis Sanctum viſere ſepulchrum, ut adoraret Dominum in loco, ubi ſteterunt pedes ejus. *)

Ingreſſus eſt Dux iter hoc anno 1171. **) Conrado epiſcopo Lubecenſi, Henrico Abbate Brunſvicenſi, Bartoldo Abbate Luneburgenſi, paucisque aliis cum comitantibus, curſumque per Hungariam, Strigonium verſus, Niſſam, Adrianopolim, Conſtantinopolimque direxit. Conſtantinopoli inviſit Græciæ regem, h. eſt Manuelem Comnenum, ***) Imperatorem Conſtantinopolitanum, atque ab eodem ſplendidiſſime exceptus habitusque, Hieroſolymam tandem pervenit, ſtatim poſt feſtum paſchatos dicti anni: ibidemque omnia loca ſancta pie religioſeque luſtravit, ****) id quod copioſius recenſetur ab Arnoldo, citati libri capite III. IV. V. VI. VII.

Poſteaquam igitur laudatiſſimus dux in reditu ſuo Conſtantinopoli ad regem h. e. Imperatorem iterum divertiſſet, hic ei ob-

*) Ejusmodi *peregrinationes pias* attigimus in præmiſſa *Diſquis.* Cap. IV. §. II, p. 51. ſeq. in *Not.*

**) Vide nos paulo poſt.

***) De ejus rebus geſtis exſtant libri VII. *Nicetæ Choniatæ,* inſerti hujus Hiſtoriæ. cura Caroli Annibalis Fabroti, Pariſiis 1647. Fol.

****) Ibidem HENRICI noſtri liberalitas non uno modo patuit. namque (ut Arnoldus cap. VII. apud Leibn. c. l. p. 634. affirmat) *obtulit Dux ad ſanctum Sepulcrupem*

b

obtulit quatuordecim auro, argento, ſericisque veſtibus onuſtos mulos: quod donum cum accipere Dux recuſaſſet, reliquias ſanctorum ei dedit, quas grato Henricus animo accepit. *Venit Henricus Dux*, inquit Arnoldus Lubecenſis, libro citato, cap. XII. *ad urbem Conſtantinopolim*, *ubi tunc erat rex*, (h. e. Manuel Comnenus Imperator Conſtantinopolitanus) *qui multum lætatus eſt de reditu ejus; & cum honeſtiſſime detinuiſſet eum per aliquot dies, dedit ei XIIII. mulos, oneratos auro & argento, & ſericis veſtibus. Dux vero immenſas gratias agens, noluit accipere, dicens ad eum: Habeo plurima, Domine mi, inueniam tantum gratiam in oculis tuis. Cumque nimis cogeret eum, & ille nulla ratione aſſentiret accipere, dedit ei* RELIQVIAS SANCTORVM MVLTAS ET PRETIOSÀS *) *quas poſtulaverat, addidit etiam multam* LAPIDVM PRETIOSORVM GLORIAM.

Quod

pecuniam multam; & Baſilicam, in qua lignum Domini repoſitum eſt, ornavit muſivo opere, & oſtia ejusdem Baſilicæ veſtivit argento puriſſimo. Deputavit etiam reditus annuos ad cereos comparandos, jugiter ad ſanctum Sepulcrum arſuros. Templariis quoque & Hoſpitalariis dedit dona & arma plurima, & mille marcas argenti, ad comparanda prædia, quibus tirones teneantur tempore belli. Conſtitutio HENRICI, de tribus lampadibus, Hieroſolymis in *Dominicæ reſurrectionis eccleſia* jugiter arſuris, exſtat Origg. Guelf. T. III. p. 516. Nos eam nuper cum Sigillis in T. V. p. 18. ex archetypis litteris in æs inciſam repræſentavimus.

*) Harum quoque fit mentio in teſtamento Ottonis IV. Imp. apud Meibom. Scriptor. T. III. p. 148. item Origg. Guelf. T. III. p. 364. verbis: *Omnes reliquias, quas pater noſter habuit, & nos habemus, Deo & S. Joanni Baptiſtæ & S. Blaſio in Bruneswic perpetualiter offerimus, præter unum brachium, quod uxori noſtræ repræſentabitur.* Adde chartam Abbatis Wiſmarienſis A. 1283. apud Rhetmeier Antiqq. eccl. Brunſv. P. II. p. 197. repetitam Origg. Guelf. III. p. 521. ubi: *quem Theſaurum olim illuſtris Princeps Henricus Dux Bauariæ & Saxoniæ de Græcia tranſtulit,* &c.

Digitized by Google

Quod HENRICVS LEO ſacram hanc peregrinationem anno 1171. inierit, non memorat quidem Arnoldus Lubecenſis loco citato, indicatur tamen in rubrica hujus capitis II. §. 3. *Henricus Leo votiuum iter per Syriam, primariis ſuis viris aſſumtis, anno* 1171. *ſuſcepit.* Albertus Stadenſis & Cranzius exiſtimant, *anno* 1170. *iter hoc ſuſceptum fuiſſe*: Godefridus monachus, Gobelinus & Robertus de Monte *illud referunt in annum* 1173. Quum vero ex aliis, hiſtoricorum monumentis fide dignis, tam editis, quam manu ſcriptis certiſſime conſtet, Henricum Leonem anno 1172. domum rediiſſe: Arnoldus Lubecenſis etiam, (de quo paulo poſt) teſtetur, *quod, finito illo, quo itineri ſe dederat, anno Brunſuigam Henricus ſit reverſus*: ex hoc autem porro conſequatur, Eum anno 1171. peregrinationem iſtam ſuſcepiſſe; nos nihil dubitamus ſupponere pro certo, quod Henricus anno 1171. iter hoc ſit ingreſſus *). Verba Arnoldi, quæque ſubiunguntur de Reliquiis capite XII, ita ſe habent:

*) Huic quoque anno iter attribuit Anonymi Chronicon Stederburgenſe, in Meibomii Rer. Germ. T. I. p. 455. item apud Leibnitium Script. Brunſv. T. I. p. 858. Verum enim vero totus in eo eſt Eccardus, ut evincat, hoc iter ſequente anno 1172., poſt Octavam Epiphaniæ, ab HENRICO ſuſceptum, atque ſub initium anni 1173. perfectum fuiſſe. Vide Origg. Guelf. T. III. pag. 74-80. Hoc pacto arbitror, inſcriptioni chartæ anni 1172. (qua HENRICVS eccleſiæ S. Crucis in Hildesheim *Crucem de ipſa Dominici ligni ſubſtantia* donaſſe dicitur, producta Origg. Guelf. T. III. p. 520.) mendum typographicum ineſſe, ibique annum ſequentem reponi oportere, & ſine periculo poſſe, cum ipſa charta nullam temporis notam habeat. Cæterum de hac HENRICI noſtri peregrinatione religioſa libellum ſingularem, ad ductum *Arnoldi*, ſcripſit Jo. Fridericus Schmidius, hoc titulo: *Diſſertatio hiſtorico-geographica, exponens glor. mem. Principis Henrici Leonis Ducis Bavariæ & Saxoniæ, iter Hieroſolymitanum, Helmſtadii A.* MDCCXI. 11 plagg. 4. ubi Auctor p. 14., ſed calculo minus certo, itiueris inchoati annum ponit ſæculi ſeptuageſimum tertium.

bent: *Reuoluto autem anno* (videlicet quo iter hoc ſuum inſtituit) *reverſus eſt Brunſvig, & lætati ſunt omnes amici eius de adventu ipſius, &* DITAVIT DOMVM DEI (intellige templum S. Blaſii, quod tunc exſtruere cœperat) RELIQVIIS SANCTORVM, QVAS SECVM ATTVLERAT, VESTIENS EAS AVRO, ARGENTO ET LAPIDIBVS PRETIOSIS, *inter quas etiam erant* BRACHIA APOSTOLORVM PLVRIMA. -- *Erat autem idem princeps deuotiſſimus in ornatu domus Dei, ut in eccleſia B. Blaſii, quæ eſt in civitate Brunſvig, &c.*

Hic Arnoldus, abbas Lubecenſis chronicon Slavorum Helmoldi, anno 1170. vita functi, continuavit, &, judice Voſſio libro II. de hiſtoricis Latinis cap. LV, *vixit tempore Ottonis IV, filii Henrici Leonis natu ſecundi, qui in Cæſarem coronatus fuit anno* 1199, *obiitque anno* 1218. Tabula membranacea, quæ Brunſvigæ eſt, & cujus jam ſupra fecimus mentionem, indicat, *quod potens & bellicoſus princeps*, Dux *Henricus Leo*, *anno* 1195. *pridie Jacobi Apoſtoli mortuus ſit, ſepultusque in eccleſia cathedrali.* Ex quo patet, Arnoldum Lubecenſem paucis, poſt beatiſſimum Henrici Leonis e vita exceſſum, annis hiſtoriam ſuam contexuiſſe: adeoque illi, utpote ſcriptori contemporaneo eó majorem fidem tribuendam eſſe.

Quum igitur, quas nunc recenſebimus, in hoc Electorali Brunſvicenſi ac Luneburgenſi theſauro jacentes exquiſitiſſimæ reliquiæ, quoad partem multo maximam ipſæ illæ ſint, quas ex oriente, aliisque terris attulit, vel poſtea etiam conquiſivit Henricus Leo, Dux glorioſiſſimus: non abs re fore creditum fuit, ſi hoc ipſum ex ſcriptoribus idoneis non tantum probabiliter oſtenderetur, ſed & argumentis quavis exceptione majoribus &c. de-

Digitized by Google

demonſtraretur, ut nulla hac de re dubitandi ratio ſupereſſe queat *). Hiſtorica igitur ad minimum fide conſtat, ultra quingentos quinquaginta circiter annos hæc oſſa, pro pretioſis Sanctorum Sanctarumque reliquiis, agnitas fuiſſe habitasque. Id certiſſimum eſt, & uno ore omnes confitentur, quotquot varias orbis terrarum partes luſtraverunt, & Hannoveram delati, viderunt has reliquias; tantam tam ſplendide exornatarum pretioſiſſimarumqie reliquiarum copiam, vix ac ne vix quidem, uno in loco ſimul, inueniri ac conſpici.

Per-

*) De ipſarum *Reliquiarum* antiquitate & αὐθεντίᾳ hic diſputare non eſt neceſſe, quia, quæ huc faciant, jam occupavimus in *Diſquiſit.* Cap. VI. §. I. Hoc autem nunc quæritur, an *Reliquiarum multo maxima pars*, quam Lipſanographia præſens continet, ab HENRICO LEONE ex Oriente allata, vel ab ipſo aliunde conquiſita ſit? *Molanus* hoc omni aſſeveratione affirmat; ſed utinam id ipſum in clariori luce poſuiſſet, inſtructus forſan firmioribus & gravioribus indiciis, quam ab ipſo in medium allata videmus. Etenim (ut Origg. Guelf. T. III. pag. 82. in notula animadvertit Ill. Gruberus, ὁ Κειμηλιάρχης ab A. 1733-1747.) *difficile eſt judicare, quæ ex his* (Reliquiis) *ab Henrico Hierofolymis vel Conſtantinopoli advecta, & quæ à poſteris ejus ſuccedente tempore ſint addita, magis ex indumentis & exteriori ornatu, quam ex ſe ipſis æſtimanda.* Quamobrem hic quæri poſſit, an magnifica illa & pretioſe elaborata vaſa, capſas, thecas & reliqua, quibus bene multæ Reliquiæ incluſæ exſtant, artifex quidam HENRICO ſuppar confecerit? Meâ quidem ſententiâ, oculo acri, & ut ita dicam ſagaci, haud obtrudenda, ſunt inter hæc multa quæ colorem & ſpeciem ſæculi XII. nondum amiſerunt: ſunt alia, quæ ætatem HENRICO multo grandiorem præferunt: ſunt denique quæ à recentiori manu profecta, priſtinæ Gazæ, per intervalla ac ſpiramenta temporum acceſſerunt, ut ipſamet non uno loco ſatis declarant, e. g. N. XVII. ſ. 3. N. XXXIV. ſ. 1. &c. N. LXXIV. ſ. 4. &c. Ita etiam huic Cimeliarchio, ex Spiegelbergenſi ſacello præfecturæ Lauenſteinenſis, A. 1773. adjuncta fuit antiqua *B. Mariæ Virginis*, habitu *Matris doloroſæ*, imago, ex ligno affabre ſculpta, peregrinationibus ſacris olim culta, donisque votivis adhuc onuſta. De hac nonnihil memoriæ prodidit Baringius in Deſcriptione Salæ Lauenſteinenſis, P. I. p. 187. ſeq.

Digitized by Google

Pervenerunt autem hæ reliquiæ, poſt deditionem urbis Brunſuicenſis, anno 1671. ad Dnm. Joannem Fridericum, beatiſſimæ recordationis Ducem: & Brunſuigâ, ubi a tempore reditus Henrici Leonis ex itinere Hieroſolymitano, in Templo S. Blaſii cuſtoditæ fuerunt, translatæ ſunt Hannoueram *); inque æde ſacra aulica adſeruatæ, ſingulis, qui illud deſiderant, promte lubenterque monſtrantur. Dat. Hanoveræ 16. May 1713.

*) De hac translatione breviter agit Leibnitius Script. Brunſv. T. II. in Introduct. p. 11. in med.

LIP-

Digitized by Google

LIPSANOGRAPHIA SIVE THESAVRVS
RELIQVIARVM
ELECTORALIS
BRVNSVICO - LVNEBVRGICVS.

I.

Magna Crux argentea *) eleganter deaurata, Chriſtum exhibens in cruce pendentem, ornata 51. margaritis, 39. coralliis & 96. lapidibus pretioſis, inter quos onyx 1. carniol. 22. granat 6. Ametiſt. unus & romano more inciſus. Continet reliquias ſequentes: Tab. I. & II.

1. DE LIGNO DOMINI partes tres duplicem crucem repræſentantes.
2. SPINA ex coronâ Chriſti.
3. DE COLUMNA, ad quam Chriſtus eſt flagellatus.
4. DE TUNICA CHRISTI.
5. PARS LIGNI - - - plura legi non poſſunt. **)

Latent

*) Formam ejus anticam atque poſticam in Tab. I. & II. conſpiciendam damus.

**) Sed hæc commemorant Excerpta chronologica de Ducibus Brunſvicenſibus & de Reliquiis Eccleſiæ collegiatæ S. Blaſii; apud Leibnitium Script. rerum Brunſv. T. II.

Digitized by Google

Latent ibidem ſub cryſtallo reliquiæ nonnullæ, quarum nomina propter luminis reflexionem manent in obſcuro, donec aperiatur cryſtallus.

In ima parte crucis ſtat nomen JHESUS charactere monaſtico, quem Gothicum nonnulli vocant.

II.

Brachium argentea lamina obductum cum manu ex argento ſolido, continet, ut ex inſcriptione liquet

BRACHIUM S. LAVRENTII martyris, *) de quo Martyrologium Romanum ad IV. Idus Aug. *Laurentius Archidiaconus in perſecutione Valeriani* (ſecundum alios Decii) *poſt plurima tormenta carceris, verberum diverſorum ſcorpionum, fuſtium & plumbatarum, & laminarum ardentium, ad ultimum in craticula ferrea aſſatus, martyrium complevit.*

Plumbatæ, uti habet fratrum Macrorum Hierolexicum, *genus martyrii eſt; quod fit per flagellum cum funiculis, ad cujus extremitates pendebant plumbeæ pilulæ, quo tantum Nobiles percutiebantur.*

III.

Tab.III. Machina **) argentea deaurata operis Græci formâ monſtrantiæ, in cujus medio per vitrum conſpicitur

I.


T. II. p. 59. §. 1. ubi hæcce Crux (poſita olim in media Eccleſia S. Blaſii ante Chorum) juſſu HENRICI LEONIS confecta dicitur; addita Reliquiarum eidem incluſarum enumeratione.

*) Hic Archidiaconus, vel Archilevita ac martyr, Romæ obiit A. 258. Multa ejus & honorifica mentio exſtat apud Ambroſium, Auguſtinum & Prudentium, qui Periſteph. II. hymnum ampliſſimum in ejus laudes conſcripſit. Vide omnino Acta Sanctorum *menſis Aug.* T. II. a. d. X. ipſi ſacrum, p. 485-532. Ibidem pag. 498. ſeq. agitur de illius Reliquiis in Gallia, Hiſpania, Germania ac Belgio. Pag. 500. col. 2. exſtant *Frederici Wilhelmi*, March. & Elect. Brandenb. litteræ A. 1647. a. d. 14. Aug. ſcriptæ, quibus ille Jeſuitis Antverpienſibus donat argenteam hierothecam, deauratam, gemmis ornatam, continentem *S. Laurentii* duos digitos, aut eorum articulos.

**) Mallem loco vocabuli *Machina* (hic ſane & N. 7, 15, 16. & aliis parum concinni)


Digitized by Google

-ips. Tab. I, pag. 15,



Digitized by Google


Lipr. Tab. II, pag. 15,



Digitized by Google

Digitized by Google

Lipſ. Tab. III. pag. 16.



Digitized by Google

Digitized by Google

1. Hierotheca ex auro ſolido cum hac inſcriptione: ΛΙΨΑΝΟΝ ΤΟΥ ΑΓΙΟΥ ΙΕΡΟΜΑΡΤΥΡΟΣ ΒΛΑΣΙΟΥ. h. e. Reliquia ſancti Epiſcopi martyris Blaſii. *) Martyrologium Romanum ad III. Non. Febr. *Sebaſtæ*, inquit, *in Armenia paſſus eſt S. Blaſius Epiſcopus & Martyr, qui multorum patrator miraculorum, ſub Agricolao Præſide diuturnam cæſionem, atque in ligno ſuſpenſionem, ubi ferreis pectinibus carnes ejus diruptæ ſunt, poſt teterrimum carcerem, & in lacum demerſionem, unde ſalvus exivit, jubente eodem judice capite truncatur.* Mortuus eſt anno Chriſti 310.

2. Sub S. Blaſii reliquia latet

POLLEX de S. MARCO, **)

qui Venetiis, ubi hujus S. Evangeliſtæ totum corpus aſſervatur, deſiderari dicitur.

IV.

cinni) adhibitæ fuiſſent voces: *vas ſacrum, capſa, theca, hierotheca*, vel etiam nunc ſatis vulgatum *Monſtrantia*; quæ rem, de qua agitur, melius exprimunt.

*) Erat Epiſcopus Sebaſtæ in Armenia minori. Ipſius jam in Præfatione mentio facta eſt. Ex profeſſo de eodem diſſerunt Acta SS. *menſis Febr.* T. I. a. d. 3. pag. 331-353. Secundum hæc, p. 332., incertus eſt ejus mortis annus: aliis hunc referentibus ad A. 287. aliis ad A. 316.

**) Hoc potiſſimum hierotheca nobilitatur. Corpus S. MARCI EVANGELISTAE à Venetis *pio*, quod vocant, *furto* urbi Alexandriæ in Ægypto ſubductum fuiſſe, docet ampliſſima *Hiſtoria translationis*, ex MS. codice Vaticano prolata in Actis SS. T. 3. *Aprilis* a. d. 25. ejusd. menſ. p. 353. ſeqq. nec non à Baronio Annal. eccl. T. 9. N. 41. ad A. C. 820. Hæc in epitomen redegit Ferrandus in Diſquiſit. reliquiaria p. 221. ſeqq., ubi etiam data opera diſputat *de piis & impiis Reliquiarum furtis.* Conf. ſuper eadem re Muratorius Antiquitt. Italiæ, T. V. p. 8. ſeqq. Dubito autem, an Veneti glorientur, aut gloriari poſſint, ſe *integrum corpus S. Marci* poſſidere, ſi quidem huic non POLLEX modo deeſt, *Hanoveræ* etiamnunc aſſervatus, ſed aliæ quoque partes, ſancto corpori ſubdúctæ, in *Gallia, Belgio, Coloniæ, Romæ* & *Pragæ*, reverentur haberi dicuntur, quemadmodum declarant Acta SS. d. l. p. 353. litt. *B.* verbis: "Sauſſaius in Martyrologio Gallicano ad h. eundem diem (25. April.) Natalis, inquit, S. Marci Evangeliſtæ, „cujus corpus *Venetiis.* Brachium vero cum oſſibus aliquot in paroeciali eccleſia „*de Limorio Pariſ. dioec.*, inde allatum religioſo cultu aſſervatur. Cranium *Sueſ*„*ſionem* è Conſtantinopoli pridem advectum, in ſummo templo congrua honori-

IV.

Lapis quadratus verſicolor *) argento deaurato circumdatus, in cujus latere ſcriptum:

DE TABVLA, IN QVA DOMINVS COENAVIT.

V.

Tab.IV. Crux abſque ſtylobata, **) quæ in altari quondam ſtetit, aurea lamina undique obducta, ornataque opere filatim elaborato (quod Galli *Filagrain* appellant) emblematibus item IV. Evangeliſtarum, 31. lapidibus pretioſis ac quibusdam margaritis. Inter lapides eminet Saphirus inſolitæ magnitudinis ingentisque, fi

„ficentia repoſitum eſt. Arnoldus Rayſſius in Hierogazophylacio Belgico meminit variarum reliquiarum S. Marci Evangeliſtæ, cujus brachium aſſerit eſſe *Cameraci* in eccleſia Canonicorum Regularium S. Autberti, at magnam partem brachii una cum manu in *Lætienſi* cœnobio. Item de brachio ejus apud *Maricolenſes* Benedictinos; at *Tornaci* in eccleſia Cathedrali aſſervari tria oſſa, & de ſaxo ejus ſacro cruore reſperſo. Annotat etiam Gelenius *Coloniæ* aliquas ejus Reliquias eſſe in eccleſiis S. Gereonis, S. Severini, S. Cuniberti, S. Mariæ ad Gradus, & S. Pantaleonis. Similia tradi de variis eccleſiis non dubitamus, ſed otium deeſt omnia conquirendi. *Romæ* in templo S. Marci eſſe aliquam partem & capitis & brachii tradit Pancirolus regione urbis 14. eccleſia octava. „

Præterea in iisdem Actis SS. pag. 346. §. 9. ex Uſuardo refertur, potiorem partem Capitis S. Marci à Carolo IV. Imp. *Pragam* fuiſſe delatam.


Subjungo POLLICIS cauſſa, quæ eadem pag. col. 2. littera *D.* leguntur: „Quod aliqui, cum Petro de Natalibus, arbitrantur, *S. Marcum ſibi Pollicem amputaſſe, ne ad ſacerdotium promoveretur,* inepta fabula eſt, nec refutatu digna: id tamen præſtitit Petrus Halloix tomo I. Scriptorum Eccleſiæ Orientalis ad cap. 5. vitæ S. Polycarpi. “

*) Potiſſimum rubri coloris; ſed inſcriptio: *de Tabula* &c. abeſt, niſi forte ligno inciſa ſit, quod lamina argentea circumtegit.

**) Priorem ejus partem Tabula IV., poſteriorem Tabula V. oſtendit.

Digitized by Google

Lips. Tab. IV, pag. 18.



Digitized by Google





Digitized by Google

Digitized by Google

ſi per totum glaber eſſet, pretii, quem tamen ſcrobiculi in dorſo non parum depretiant.

Reliquias in cruce latentes ſequens indicat inſcriptio.

1. Reliquiæ S. PETRI APLI &
2. S. LIVTHRVDIS VIRGINIS. *) Tab. V.

Sub quibus legitur:

HOC GERDRVD. COM. (h. e. Comitiſſa) FIERI FECIT. **) Mortua illa perhibetur Anno 1064.

VI.

*) Vocatur etiam *Lintrudis*, vel *Lutrudis;* eaque fuit virgo religioſa ſæculi VI. in diœceſi Catalaunenſi Campaniæ Gallicæ. Vide Acta SS. menſ. *Septembr.* T. VI. a. d. XXII. hujus m. p. 448. ſeqq.

**) In tranſitu moneo, in archetypo Tab. V. legi: *juſſit;* non, ut hic editur, *fecit.* Sed quæ GERTRVDIS hoc fieri juſſit? Hoc nomen in media ætate adeo ſæpe occurrit, ut interdum difficillima quæſtio ſit, quæ femina intelligatur. Potuit utique *Gertrudis* quædam A. 1064., ſicut in notula ſubjicitur, mortua eſſe; ſed cujas eſt illa? unde domo? Mihi vero hic, ut infra N. XI., indicata videtur GERTRVDIS, filia Ecberti Marchionis, ſoror Ecberti Anticæſaris, vidua Henrici Pinguis Comitis de Nordheim, mater Rixæ vel Richenzæ Imperatricis, Lothario Saxoni nuptæ, (item mater Gertrudis, Ottoni Comiti Palatino de Rineck collocatæ, ut oſtendimus in Hiſtoria Comitatus Benthemienſis libro III. cap. 1.) avia Gertrudis, quæ Henrico ex Guelfis Duci Bajoariorum dotales Brunſvicenſes terras attulit, & Henricum Leonem peperit, vita defuncta A. 1117. vel, ut Chronologus Saxo teſtatur, A. 1118. quem ideo excitat Eccardus Origg. Guelf. T. IV. p. 518. Illa ipſa, de colligendis Sanctorum reliquiis quam maxime ſollicita, non ſine vitæ periculo *ſarcophagum B. Auctoris* (Epiſcopi Trevirenſis) *cum reliquiis beatorum Bartholomæi, Thaddæi, Mauricii, Coſmæ, duorum Thebæorum, Florinæ virginis ac martyris, & aliorum Sanctorum ibi* (apud Treviros) *reconditis*, pio furto Trevirenſibus abſtulit & Bruſvigam deduxit, ſicut plenius exponit Narratio *de S. Autore & translatione reliquiarum ejus in regionem Brunſvicenſem*, apud Leibnitium Script. Brunſv. T. I. p. 702. ſeq. Quadruplex hac de re relatio exhibetur in Actis Sanctorum Antverpiæ editis menſ. *Aug.* T. IV., cui ineſt ea quam Leibnitius protulit. Conf. Rhetmeier Antiqq. eccl. urbis Brunſv. P. II. cap. 2. p. 241. ſeqq. item Append. ad Cap. 2. p. 178. ſeqq.

VI.

Tab. VI. Crux aurea lamina undique obducta *) ejusdem cum præcedenti formæ & ſtructuræ ſine baſi, ornata adhuc 17. lapidibus pretioſis, inter quos eminent 3. lapides cum totidem capitibus Regum Gothorum & inſcriptionibus Gothicis, 26. item margaritis. Reliquiæ cruci huic incluſæ ſunt:

T. VII. 1. S. VALERII EPISCOPI, **) qui LXXII. diſcipulis Chriſti annumeratur.

2. S. Pancratii Martyris, ***) *qui* teſte Mart. R. ad IV. Idus Maji. *cum eſſet annorum quatuordecim, ſub Diocletiano Martyrium, capitis obtruncatione, complevit.*

3. De Lapide poſito ſub - - quæ ſequuntur, legi amplius non poſſunt.

VII.

T. VIII. Brachium & manus ſagittam ****) tenens (pollice & medio digito annulis ornatis) ex ſolido argento deaurato. Habet adhuc elegantiſſimæ ſtructuræ 26. lapides pretioſos, in quibus ſaphirus egregius. Parte averſa hujus machinæ ſtat Dux aliquis Brunſvicenſis ex Henrici Leonis poſteritate proxima, †) habet enim


*) Effigies hujus Crucis à fronte & tergo in tabula VI. & VII. exprimitur.

**) De hoc Valerio, qui fuiſſe dicitur Epiſcopus Trevirorum, vide Acta SS. *Januar.* T. II. a. d. 29. ejusd. m. p. 917. Conf. Jo. Nicol. ab Hontheim Hiſtoria Trevirenſis diplomatica, T. 1. p. IX. ſeqq.

***) Haud infrequens eſt *Pancratiorum* nomen in Actis SS. De eo, qui hic memoratur, vide Acta SS. *Maii* T. III. a. d. XII. ejusd. m. p. 17. ſeqq.

****) Vel frameam, ut icon Tab. VIII. cum archetypo bene conveniens oſtendit.

†) Sed neceſſe eſt ad ſæculum XV. deſcendas; haud dubie enim hic intelligitur, quem laminæ æneæ pictura oſtendit, *Henricus* cognomento *Pacificus*, qui, ſicut in Chronico S. Ægidii apud Leibnitium Script. Brunſv. T. III. p. 600. in pr. legitur, A. 1473. d. 8. Decembr. aqua intercute obiit, ſed ipſo hoc anno S. SEBASTIA-



Digitized by Google

Digitized by Goog[illegible]

Lips. Tab. VII, pag. 20.



Digitized by Google

Digitized by Google

Leo-

pedi
reli-
ſagit-



hortis,
tuvi à
M. R.
liunde
con-

depel-
onicon
unſwig
noſtris
Eodem
eliquiæ
m præ-
ma ſta-
era die
inde ad
hiero-
A. 287.
d h. d.

Epiſco-

rico II.
eruditis
itamen-
prodiit
ſeqq.

Digitized by Google

Digitized by Google

enim ſub pedibus duos Leopardos, *) notiſſimum Henrici Leonis inſigne, **) & ſupra caput Leonis rictum.

Jacet in hac machina pretioſa Os brachii cujusdam, pedi argenteo affabre facto inſiſtens. Inſcriptio quidem hujus reliquiæ temporum injuriâ eſt deperdita, perquam autem ex ſagitta, martyrii ſui nota, veroſimile eſt brachium eſſe

S. SEBASTIANI, militis & Martyris.

Tres habet Mar. R. Sebaſtianos.

Hic Diocletiano Imperatore, cum haberet principatum primæ cohortis, ſub titulo Chriſtianitatis juſſus eſt ligari in medio campo, & ſagittari à militibus, atque ad ultimum fuſtibus cædi, donec deficeret. vid. M. R. ad XIII. Kalend. Febr. Ex hiſtoria Eccleſiaſtica inſuper aliunde con-

BASTIANI RELIQVIAS in urbem Brunſvicenſem invehi curaverat, ad depellendam gravem, qua urbs affligebatur, peſtilentiam; ita enim excit. Chronicon p. 599. circa f. "Anno Domini MCCCCLXXIII - viguit peſtilentia in Brunſwig „tota æſtate: ſed heu gravis erat huic monaſterio. Obierunt enim de noſtris „fratribus fortiores & adoleſcentiores ſacerdotes ſeptem numero. -- -- Eodem „anno introductæ ſunt ſolenni cum proceſſione totius cleri & populi *reliquiæ* „*ſancti Sebaſtiani martyris* per fratres Præmonſtratenſis ordinis in civitatem præ„ſentem, promovente hoc *ſereniſſimo Principe ac Duce* HENRICO. Prima ſta„tio cum miſſa ad honorem *martyris* factæ ſunt in hoc monaſterio altera die „Trinitatis: poſt ad ſanctum Blaſium: inde ad ſanctam Catharinam: exinde ad „ſanctum Martinum.„ Quamobrem à vero non abhorret, illa tempeſtate *hierothecam Sebaſtiani martyris* confectam fuiſſe. Ceterum iſte martyr circa A. 287. obiiſſe videtur, ejusque memoriæ ſacra eſt *Januarii* dies XX. Vide ad h. d. Acta SS. T. II. p. 257. ſeqq.

*) Non habet ſub pedibus *duos Leopardos,* ſed hos manu gerit. Adſtans Epiſcopus inſignia Meclenburgica oſtentat.

**) Commentum *de duobus Leopardis,* quaſi hos *Henricus Leo,* à ſocero Henrico II. Rege Angliæ acceptos, in inſignibus adhibuiſſet, jam dudum diſplicuit eruditis viris, quos excitat & laudat Illuſtris Scheidius in obſervationibus & additamentis ad Moſeri Jus Publ. Brunſv. Luneb. p. 28. ſeq. Conf. quod A. 1779. prodiit *Vollſtändiges Br. Lüneburgiſches Siegel-Cabinet, erſter Abſchnitt,* p. 5. ſeqq.

conſtat, Sebaſtianum hunc patria fuiſſe Mediolanenſem & martyrii coronam accepiſſe anno Chr. 297,

VIII.

Grande brachium cum manu lilium tenente, (quo ſceptrum aut Regia poteſtas ſignificatur) ex argento ſolido inaurato, quadratæ baſi argenteæ inſiſtens, pollex annulum habet, cui inſcriptum SISMUNDUS; eſt autem

Brachium S. SIGISMUNDI martyris. *)

Hic Sigismundus Rex Burgundionum in puteum demerſus, occubuit, & poſtea miraculis claruit. vid. M. R. ad Kal. Maj. Sigebertus refert ejus necem ad Annum 515. Ex ornatu reſtant 18. lapides, in quibus carnioli tres.

IX.

Tab.IX. Manus & brachium deaurato argento obductum, baſi inſiſtens, in cujus medio ſcriptum:

Brachium S. MAURITII **) DUCIS THEBAEORUM.

Cir-

*) De Sigismundo Rege Burgundionum ad A. 524. conſulenda ſunt Acta SS. menſis *Maii*, T. I. ad 1. diem, p. 83-91.

**) Cur loco S. INNOCENTII martyris (ſicut in vernacula editione recte legitur atque archetypus etiam habet) in ſecunda & tertia Lipſanographiæ editione repoſitum ſit S. MAURITII, fateor me neſcire. *Mauritius* quidem Thebææ legionis dux & anteſignanus erat, quo titulo inter annum CCLXXXV. & CCCV. quam pleniſſime laudatur, & contra Jo. Dubordæi (du-Bordieu) impetum acriter defenditur, in Actis SS. menſ. *Septembr.* T. VI. a. d. XXII. ejusd. menſ. p. 308-403. hoc lemmate: *De* SS. MAURITIO *Primicerio, Exuperio ſenatore, Candido campiductore, Victore milite veterano,* INNOCENTIO, *Vitale, aliisque Legionis Thebææ militibus martyribus.* Verum *Innocentius* quoque in hac legione & nomen & decus geſſit; quapropter in *Addendis* ad h. T. p. 905. ſeq. ex profeſſo agitur *de Innocentii ſacris exuviis ab Ottone M. Magdeburgum delatis;* item de variis ejus corporis partibus in variis eccleſiis aſſervatis & cultis, præmiſſo hoc elogio: *neſcio, an præter S. Mauritium Thebææ legio-*

Lyss. Tab. IX, pag. 22.





Digitized by Google

Digitized by Google

Circum:

DVX HENRICVS (h. e. Leo) ME FIERI JVSSIT AD HONOREM DEI.

Hic Mauritius cum ſociis Thebææ legionis ſub Maximiano pro Chriſto necatus, glorioſa paſſione mundum illuſtravit. Videatur Martyrologium R. ad X. Kal. Octobr.

X.

Ciſta quadrata inſignis magnitudinis ab Elberto quodam artificioſiſſime elaborata. In operculo hujus ciſtæ & in angulis quatuor laterum leguntur hi verſus:

Doctrina pleni fidei patres duodeni

Cœlitus afflati, de Chriſto vaticinati

Hi prædixerunt, quæ poſt ventura fuerunt.

In ipſo operculo & angulis 4. laterum præter 8. imagines ex hiſtoria Chriſti conſpiciuntur icones multorum Sanctorum Veteris & N. teſtamenti cum ſuis ſententiis, & primo quidem

DANIEL cum hac ſententiâ: Cum venerit Sanctus Sanctorum, ceſſabit unitio.

EZECHIEL cum hac ſententiâ: Beatus eſt, quem & tu erudieris, Domine.

MELCHISEDEK.

OSEA.

MALACHIAS, cujus icon deeſt.

SOPHONIAS cum hac ſententia: Mane, mane judicium ſuum dabit Dominus in luce, & non abſcondetur.

BA-

gionis præfectum alius ex ſanctis ejus ſociis martyribus ullus ſit celebrior S. INNOCENTIO, *cultumque nactus magis per orbem diffuſum.*

Qui in eadem lamina memoratur, & Lipſanogr. N. XXVI. ſeorſum occurrit THEODORVS martyr, forſan quoque ad legionem, juſſu Maximiani Herculii trucidatam, pertinuit. Vide nos infra ad h. N.

BALAM, h. e. Bileam: Ex Jacob ſtella prodibit, & de Iſrael homo ſurget.

JONAS. Tolle animam meam, quia mors melior eſt, quam vita.

NAVM. Reddidit Deus ſuperbiam Jacob ſicut ſuperbiam Iſraël.

ISAIAS. Ecce Virgo concipiet & pariet filium.

JEREMIAS. Viſus eſt in terris & cum hominibus converſatus.

SALOMON. Sapientiam ſectati ſunt, qui placuerunt Deo & principi.

JOHEL. Computruerunt jumenta in ſtercore ſuo.

JACOB. Vidi Dominum à facie ad faciem.

ABDIAS. Qui tetigerit vos, tanget pupillam oculi mei.

PETRVS dixit: Credo in Deum Patrem omnipotentem creatorem cœli & terræ.

ANDREAS dixit: Et in Jeſum Chriſtum, filium ejus unicum Dominum noſtrum.

JACOBVS dixit: Qui conceptus eſt de Spiritu S. natus ex Maria Virgine.

JOHANNES dixit: Paſſus ſub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus & ſepultus.

THOMAS dixit: Deſcendit ad inferos, tertiâ die reſurrexit à mortuis.

JACOBVS dixit: Aſcendit ad cælos, ſedet ad dextram Dei Patris omnipotentis.

PHILIPPVS dixit: Inde venturus eſt judicare vivos & mortuos.

BARTHOLOMÆVS dixit: Credo in Spiritum S. Sanctam catholicam eccleſiam.

MATTHEVS dixit: Sanctorum communionem.

SIMON dixit: Remiſſionem peccatorum.

THADDÆVS dixit: Carnis reſurrectionem,

MATTHIAS dixit: Et vitam æternam. Amen.

In operculo ciſtæ ſculptus eſt: Chriſtus veniens ad judicium.

In

In ima parte ciſtæ ſtat: Elbertus Colonienſis me fecit.

In hac ciſta reliquiæ ſitæ ſunt ſequentes:

1. S. VINCENTII Martyris & Epiſcopi. *Secundum Martyr. R. XIV. numerantur hujus nominis martyres, ex quorum ſerie hunc noſtrum unum eſſe oportebit.*

2. De LAPIDE S. MARIAE, à quo Angeli Domini ſuſtulerunt eam.

3. S. LAVRENTII Martyris, de quo ſupra num II.

4. De AFRA martyre.

Hæc cum eſſet pagana, per doctrinam S. Narciſſi Epiſc. ad Chriſtum converſa & cum omni domo ſua baptizata, pro confeſſione Chriſti igni tradita eſt. vid. M. R. ad Non. Auguſt.

5. S. SABINI Epiſcopi & Martyris.

Hic ſub Maximiano Imperatore poſt manuum detruncationem, & diutinam carceris macerationem, ad mortem usque cæſus eſt. vid. M. R. ad III. Kal. Januarii.

6. S. ALEXANDRI Papæ.

Hic ſub Hadriano poſt vincula, carceres, equuleum, ungulas & ignes, punctis creberrimis per tota membra confoſſus ac peremtus eſt. M. R. ad V. Non. Maj.

7. SIGISMVNDI Regis Burgundionum, & PELAGII. De Sigismundo vid. Num. VIII.

S. Pelagius Cordubæ in Hiſpania natus, adoleſcentulus adhuc, ob confeſſionem fidei juſſu Abdarameni Saracenorum Regis forcipibus ferreis membratim præciſus, martyrium ſuum glorioſe conſummavit teſte M. R. ad VI. Kal. Julii.

8. De S. ALEXANDRO martyre.

Hujus nominis memorat M. R. XXXVI. martyres, ex quorum numero Alexander hic unus eſſe poterit.

9. S. INNOCENTII martyris.

In M. R. ſex comparent hujus nominis, ad quem eorum pertineat hæc reliquia, incertum.

10. S. EVSTATII martyris.

Digitized by Google

Hic ab Hadriano Imperatore ad feras damnatus, cum leones in illum ſævire nollent, bovi æneo, ignibus vehementer candefacto, incluſus, placide exſpiravit: Cumque Hadrianus juberet, ut oſtio tauri aperto exemtæ cinerum favillæ ventis & aquarum vorticibus committerentur, ſuo defraudatus deſiderio, quod præceperat, non obtinuit. lictores enim ſacrum hoc Chriſti pignus non dicam in cineres reſolutum, ſed ne ullum quidem ignis nocumentum accepiſſe, reperere: veſtimenta ſine ullo ignis odore, pulchre compoſita, facies ejus nullum pallorem, nullum ambuſtionis veſtigium, ſed lætitiam quandam, vivacitatem, decoremque cæleſtem non diſpari odore referebat.

Ex Athanaſii Kircheri Soc. Jeſu Hiſtoria hujus Martyr. Partis I. cap. V.

11. De LAPIDE, ſub quo S. Helena Conſtantini M. Mater crucem invenit.

12. De LAPIDE, ubi Chriſti diviſa ſunt veſtimenta.

13. De SEPVLCHRO JEREMIAE Proph.

14. De – – – MOSIS, reliqua legi non poſſunt.

Porro in faſciculo ex ſindone reperiuntur reliquiæ ſequentes:

1. S. JACOBI Majoris Apoſtoli.

2. S. AFRAE. *Hæc vel eadem eſt, de qua actum ſupra Nro. X. vel illa, cujus M. R. ad IX. Kal. Maji facit mentionem.*

3. S. PERPETVAE Virginis.

Quæ Romæ à B. Petro Apoſt. baptizata Nazarium filium, & Africanum Virum ad fidem Chriſti perduxit. vid. M. R. ad Prid. Non. Auguſt.

4. S. AGNETAE Virginis.

Martyrologium Roman. duas hujus nominis martyres recenſet, quarum una forte noſtra.

5. S. MAVRITII, unius ex legione Thebæa.

6. Undecim mille Virginum.

7. S. VALENTINI.

Horum in M. R. numerantur VII. ad quem illorum reliquia iſta pertineat, incertum.

8. S. USCAE, *hanc M. R. non habet.*

9. S.

Digitized by Google

9. S. ALBINAE Virginis.

Hanc Foruliis in Campania ſub Decio Imper. martyrio coronatam eſſe teſtatur M. R. ad XVII. Kalendar. Januar.

In alio faſciculo linteo, cujus inſcriptio eſt: *De Campo*, jacent reliquiæ ſequentes:

1. S. THEONISTI, Epiſcopi & Mart.

Hic ab Arianis occiſus eſt, M. R. ad III. Kal. Nov.

2. Lapis DE SEPVLCHRO DOMINI.

3. ALIVD adhuc de ſepulch. Domini.

4. DENS S. CYRIACI.

XIII. hujus nominis martyres nonnulli memorantur in M. R. quis autem hic noſter inter eos ſit, non ſatis conſtat.

5. SS. ABDON & SENNAS.

De his Mart. R. ad III. Kal Auguſt. Perſæ hi ſub Decio catenis alligati Romam adducti pro Chriſti fide primum plumbatis cæſi, deinde gladio interfecti ſunt.

Inveniuntur præterea in hac ciſta XX. faſciculi ſine ſchedulis unicuique reliquiarum appropriatis; adjacens autem membrana teſtatur, in hoc faſciculo generatim contineri reliquias ſequentes:

1. De Dente Cyriaci, de quo paulo ante §. 4.

2. De PETRA, qua lapidatus eſt S. STEPHANVS.

3. De proprio corpore S. PANCRATII.

De quo vid ſub. N. VI.

4. S. OLMARI *) Confeſſoris, quem M. R. non habet.

5. De

*) Quum in Hiſtoriis Sanctorum nuſquam appareat *Olmarus*, puto hoc eſſe σφάλμα γραφικὸν, ideoque legi oportere: *Olmari*, vel *Othmari;* de quo videri poſſunt Origines Guelficæ T. II. §. 4. p. 6. ſeqq. & quæ Scheidius in præf. ad h. T. p. 6. ſeqq. item p. 12. nota *t.* attulit. Conf., ſi tanti eſt, Laurentius Surius in Sanctorum hiſtoriis Tomo VI. p. 351. ſeqq. a. d. 16 Novembr., *Othmari* memoriæ ſacram.

5. De proprio corpore s. VICTORIAE virg. & martyr.

Hæc in perſecutione Decii cum eſſet deſponſata Eugenio pagano, & nec nubere vellet, neque ſacrificare, poſt multa facta miracula, quibus plurimas DEO virgines aggregaverat, à carnifice percuſſa eſt gladio in corde, rogatu ſui ſponſi. vid. M. R. ad X. Kal. Jan.

6. s. ANATOLIAE virgin. & martyr.

Hæc Chriſti virgo Decio Imperatore poſtquam plurimos per totam Piceni provinciam variis languoribus affectos curaſſet & in Chriſtum credentes feciſſet, jubente FAVSTINIANO judice, diverſis pœnarum generibus vexata, cum ab immiſſo ſerpente liberata Audacem convertiſſet ad fidem, noviſſime extentis manibus orans gladio transverberata eſt: Audax quoque *in cuſtodiam datus, ſine mora capitali ſententiâ coronatur. vid. M. R. ad VII. Idus. Jul.*

7. s. BENEDICTAE Virginis.

Hujus meminit M. R. ad Prid. Non. Maj. Ad quem locum Card. Baronius: *de ea S. Gregorius L.* 4. *dial. cap.* 18. *ubi agit de S. Gallæ obitu, quam Benedicta poſt diem* 30mum, *ut S. Petrus Apoſtolus prædixerat, ſecuta eſt ad coronam.*

8. s. FAVSTAE Virginis.

De qua M. R. ad XII. Kal. Octob.

Fauſta ſub Maximiano Imperatore capite terebrata, clavis toto corpore confixa & ſartagini ignitæ impoſita, cum Evilaſio voce de cælo vocata, tranſivit ad Dominum.

Denique continet hæc ciſta varias reliquias ſine inſcriptionibus, charta partim involutas, partim ſine omni involucro jacentes, in quibus os notabile nudum anonymum.

XI.

Tab. X. Arcula *) quadrata pretioſiſſima, in cujus operculo ex Porphyrio lapide auro elegantiſſime ornato, leguntur hi duo verſus:

GER-

*) Ob multas Sanctorum reliquias hic incluſas, exiſtimat Ill. Gruberus in notula *aaa.* Origg. Guelf. T. II. p. 335. hoc κειμήλιον potius *Reliquiarium* quam *arculam* nominandum eſſe. Habuit ſane, cur ibidem affirmaret: *id vere auro gemmisque nitens*

Lipſ. Tab.X, pag.28,



Digitized by Google

GERTRVDIS CHRISTO FELIX VT VIVAT IN IPSO
OBTVLIT HVNC LAPIDEM GEMMIS AVROQVE NITENTEM.

Gemmas adhuc habet XLIV. majores, in quibus XV. Saphiri, multasque minores. Plurimæ margaritæ cum 48. lapidibus pretioſis ſunt deperditæ. Omnia ciſtæ latera auro obducta filatim elabarato aurificis opere *(filagrain)* in quibus 23. loculi (*Niche* Gallis dicuntur) & in his totidem ſtatuæ ex auro ſolido. Quinis earundem adſcripta ſunt nomina: Sigismundi. Conſtantii. S. Crucis. S. Helenæ. S. Adelheidis.

Includuntur huic ciſtæ reliquiæ ſequentes:

1. Os de brachio s. BARTHOLOMAEI Apli.
2. De COLVMNA u. k. (h. e. ubi Chriſtus) ligatus eſt.
3. S. GERTRVDIS virginis. *)

Hæc Nivigellæ in Brabantia clariſſimo genere orta deſpexit mundum, & toto vitæ ſuæ curſu in omnibus ſanctitatis officiis ſe exercuit. v. M. R. ad XVI. Kal. Apr. Ad quem locum notat Cardinalis Baronius: *Gertrudim hanc diem ſuum obiiſſe Anno* 664. *& in Sanctarum claſſem ex Decreto Honorii Papæ tertii relatam.*

4. S. VINCENTII martyris.

De quo M. R. ad VIII. Kal. Septembr.

Hic primo ſub Commodo Imperatore in equuleo levatus, nervis quoque diſtentus, ac deinde fuſtibus cæſus eſt, flammis circa ejus latera appoſitis, & cum in laude Chriſti fideliſſime permaneret, plumbatis usque ad emiſſionem ſpiritus mactatus eſt.

5. S.

nitens tanta cura aſſervatum, ut, licet antiquiſſimum ſit, nullaque ratio occurrat, quare ad GERTRVDIM (de qua N. V. diſputavimus) *referri non debeat, recens tamen è manu artificis prodiiſſe videatur.*

*) Hoc nomine ferax eſt antiqua Eccleſiæ hiſtoria. quæ hic ex M. R. laudatur *Gertrudis*, patrem habuit *B. Pippinum* Ducem & Majorem-domus Regum Auſtraſiæ. Vide Acta SS. *Martii* T. II. a. d. 17. p. 592. ſeqq. ubi agitur *de S. Gertrude virgine Abbatiſſa Nivellenſi in Brabantia,* ad A. 664.

Digitized by Google

5. S. MARCIANI martyris.

M. R. XVI. Marcianorum facit mentionem.

6. S. ADELHEIDIS de FELSA. *)

Fuit hæc Imperatoris Ottonis, qui Magdeburg. & Quedlinburg. fundavit, vidua, quam *M. R. non habet.*

7. S. CYRIACI martyris.

Hujus nominis M. R. numerat XIII.

8. De reliquiis HERMETHIS.

An ejus, qui Pauli tempore vixit & ab eodem ſalutatur Rom c. ultimo v. 14. an alterius cujusdam Hermethis & quidem unius ex ſex, quorum meminit M. R? incertum.

9. S. JANVARII.

Hujus nominis Sanctos XV. nominat M. R.

10. S. STEPHANI.

An protomartyris? an alterius? ignoratur. Infra ſub Nro. XCIX. os protomartyris exhibebitur.

11. INCERTORVM SS. oſſa duo ſindone involuta.

12. Faſ-

*) Ita in tribus Lipſanographiæ editionibus legitur, ſed nullo ſenſu. quis enim unquam vel fando audivit, vel legit, alteram Ottonis M. uxorem, *Adelheidem Burgundicam*, A. 999. mortuam, nominatam fuiſſe de FELSA? Poſt longam hæſitationem, quid hoc portentum vocabuli ſignificaret, tandem comperior, reponendum eſſe de *Selſe*, vel *Salſa*; quo denotatur urbs & monaſterium Argentoratenſis diœceſis ad Rhenum, ab Adelheide Imperatrice conditum. Hoc me docuit Odilo Abbas Cluniacenſis in *vita S. Adelheidis Imperatricis*, poſt Caniſium edita à Leibnitio Script. Brunſv. T. I. p. 265. ubi in pr. cap. 7. *Ante duodecimum circiter annum obitus ſui, in loco qui dicitur* SALSA, *urbem decrevit fieri ſub libertate Romana, quem affectum poſtea ad perfectum perduxit effectum. In ipſo etiam loco monaſterium à fundamento miro opere condidit.* &c. Huc quoque faciunt Chronica S. Ægidii, apud eundem T. III. p. 580. circa f. verbis: *Adelheidis citra Argentinam in littore Rheni, in monaſterio* SELSE *cum magna veneratione ab omni populo terræ pro Sancta ſervatur.* Ex quibus colligere licet, cognomen *de Selſa* Adelheidi inditum fuiſſe à vulgo Rheni accolis; cum alia quæ exſtruxit monaſteria, ab Odilone cap. VI. memorata, ipſi peculiare cognomentum non pepererunt.

Digitized by Google

12. Faſciculus linteus, in quo VIII. reliquiæ incertorum ſanctorum aut ſanctarum.

XII.

Lapis Agathes major quadratus, argento deaurato ad latera obductus, Chriſtique & XII. Apoſtolorum imaginibus ornatus. Adſtant græce illorum nomina, ſed vitioſe partim ſcripta: quid reliquiarum ſub lapide hoc lateat, ignoratur.

XIII.

Brachium argento obductum cum manu argentea, cultrum argento pariter obductum tenente. Ex XXIIX. lapidibus pretioſis, quibus ornatum fuit, non reſtant, niſi VI.

Inſcriptio illius eſt:

BRACHIVM S. BARTHOLOMÆI APOSTOLI CVM CVLTRO, QVO NECARVNT EVM.

XIV.

CHRISTI CRVCIFIXI imago 4. lapidibus pretioſis totidemque cryſtallis ornata. Continentur in eadem reliquiæ:

1. De LIGNO DOMINI.
2. S. JACOBI APOSTOLI.
3. S. FRONTINI.

Quem M. R. non exhibet.

4. S. NICOLAI. Cujus nominis tres in M. R. recenſentur.
5. S. STEPHANI.

Horum in Martyr. R. præter protomartyrem nominantur XIV.

6. S. VINCENTII, de quo ſupra, num. XI.
7. S. LAVRENTII, de quo ſupra, num. XII.
8. S. BLASII, de quo ſupra, n. III.
9. WEGN.

10.

Digitized by Google

10. WANN.

11. SO.

Trium poſteriorum reliquiarum nomina propter reflexionem cryſtalli, ſub quo latent, integrè legi nondum potuere.

XV.

T. XI. & XII. Machina *) in forma Patenæ ex argento inaurato pedi inſiſtens ejusdem metalli. Ornata eſt picturâ Chriſti, ſedentis in nube & exercentis judicium extremum, hinc & inde, quatuor Evangeliſtarum inſignia.

Circa Chriſtum ſtat hic verſiculus:

HVC. SPECTATE. VIRI. SIC. VOS. MORIENDO. REDEMI.

Circa ipſam Patenam:

EST. CORPVS. IN. SE. PANIS. QVI. FRANGITVR. IN. ME. VIVET. IN. AETERNVM. QVI. BENE. SVMIT. EVM.

In hac patena ſub vitro conſpiciuntur ſequentes reliquiæ:

1. De LIGNO DOMINI reliquiæ duæ in formâ crucis.

2. De S. GODEHARDO. **)

Fuit is Abbas primum Hirſchfeldenſis, poſtea Epiſcopus Hildeſienſis, mortuus Anno 1020.

3. Dentes S. NICOLAI, de quo ſupra, n. XIV.


4. De

*) Hujus vaſis ſacri, ſive *Monſtrantiæ* (vide dicta ad N. III.) iconem ex utroque latere, (Tab. XI. & XII.) apponimus. De illius auctore, *S. Berwardo*, in f. h. N. agitur.

**) Quæ ſequitur obſervatio Molani, multis modis emendari poteſt ex *Vita S. Godehardi Epiſcopi Hildenshemenſis, ad S. Viri familiarem ſcripta*, apud Leibnitium Script. Brunſv. T. 1. p. 482. ſeqq. Nec iſte S. Bernwardi proximus ſucceſſor obiit, ut hic perperam ſcribitur, A. 1020., ſed A. 1038. quod teſtantur Annales Hildes. apud Leibn. eod. T. p. 729. Conſentit Necrologium Fuldenſe apud eundem T. III. p. 767. in f.

Digitized by Google


Lips. Tab. XI. pag. 32



Digitized by Google

Digitized by Google

Lips. Tab. XII, pag. 32



Digitized by Google

Digitized by Google

4. De S. AVCTORE. *)

Fuit hic XXVtus Epiſcopus Trevirenſis, ſepultus initio in æde S. Maximi, poſtea autem in S. Ægidii Brunſvicenſe cœnobium translatus.

5. De S. SYLVESTRO.

De hoc M. R. ad Prid. Kal. Januar. teſtatur, quod fuerit Papa R. & Conſtantinum M. baptizaverit.

6. De SERVATIO.

Hunc inter Martyres, & apud Trajectum Tungrenſis Eccleſiæ Epiſcopum fuiſſe refert M. R. ad III. Idus Maj.

7. De JOHAN. CHRYSOSTOMO.

Mortuus eſt hic Magnus primitivæ Eccleſiæ pater, & Orator incomparabilis, circa annum Chriſti 407.

8. De S. ALEXIO.

Hic confeſſor, filius Euphemiani Senatoris, qui primâ nocte nuptiarum ſponſa intacta, è domo ſua abſceſſit, & poſt longam peregrinationem ad urbem rediit, decem & ſeptem annos tanquam egenus in domo paterna receptus hoſpitio, nova mundum arte deludens incognitus manſit: Sed poſt obitum, & voce per urbis Eccleſias audita, & ſcripto ſuo agnitus, Innocentio I. Pontifice Maximo, ad Eccleſiam S. Bonifacii ſummo honore delatus eſt, ubi multis miraculis claruit. vid. M. R. XVI. Kal. Aug.

9. De S. LAVRENTIO, de quo ſupra, n. II.

In medio patenæ per transverſum legitur:

Iſtam patenam fecit S. BERWARDVS. **)

Hic S. Berwardus Comes fuit à Summerſenburg, XIVtus Epiſcopus Hildeſienſis teſte Bucelino, vixitque ſub Ottone III. anno 1000.

XVI.

*) Vide nos ſupra ad N. V.

**) Non XIVtus, ut in notula dicitur, ſed XIIIus Epiſcopus Hildeſienſis, demortuus A 1023. ſicut teſtatur turba veterum de rebus Hildeſienſibus ſcriptorum, apud Leibnitium T. I. & II. Præ ceteris videatur *S. Berwardi*, ſive *Bernwardi, vita*, à *Tangmaro* presbytero & ejus antea præceptore *ſcripta*, T. I. p. 441. ſeqq. Ex variis ibi adductis ſpeciminibus liquet, S. Berwardum tam in arte pingendi & ſcribendi, quam in arte fabrili, ſive metalla nobiliora ſcienter tractandi, gem-

XVI.

Machina in formâ patenæ ex argento deaurato, pedi argenteo inſiſtens, operis Gothici *(à la Gothique):* ſupra patenam ſtat crux quatuor gemmis ornata, in pede machinæ totidem lapides pretioſi.

Aſſervatur in eadem

Digitus S. VALERII Epiſcopi. *)

Hunc Trevirenſem Epiſcopum S. Petri Apoſtoli diſcipulum fuiſſe teſtatur M. R. ad IV. Kal. Febr.

XVII.

Brachium ex ſolido argento inauratum cum manu, in cujus digitis annuli duo. Ornatum eſt hoc brachium XXXIII. lapidibus pretioſis, inter quos ſaphiri duo egregii, & margaritæ adhuc reſiduæ XXII.

Intus jacet

1. BRACHIVM S. BABILÆ Epiſcopi. **)
2. BRACHIVM aliud S. ignoti.
3. item Reliquia una anonyma.

Adjacens ſchedula partim detrita hanc habet inſcriptionem:

Bra-

masque iis pulchre includendi, verſatiſſimum fuiſſe. Vide Cap. I. p. 442. circa f. Cap. IV. p. 443. Cap. V. p. 444. Cap. VII. p. 445. item *Compendium vitæ S. Bernwardi,* eod. Tomo p. 481. Laudat ſuum quoque artificem Opus, Hanoveræ aſſervatum, per adjunctam imaginem in Tab. XI. & XII. quadantenus cognoſcendum.

*) Vide ſupra N. VI.

**) In eo ſcriptores conveniunt, Babylam Epiſcopum Antiochenum ſæculo III. occiſum fuiſſe; ſed ſub quo Imperatore, non una omnibus eſt ſententia. Alii ideo Decium, alii Aurelianum, alii Carum nominant. Noſtrum non eſt haſce lites componere. Vide Acta SS. *Januar.* T. II. a. d. XXIV. p. 569. ſeqq.

Digitized by Google

Brachium S. Babilæ Epiſcopi fuit poſitum ad — — . — & brachium — — — & — — — Anno Domini 1467. *die* — — — *per Dominum Johannem Plettenberg hujus Eccleſiæ Canonicum. Brachium de argento factum & deauratum Anno Domini* 1467. *die paraſceves fuit hic verum brachium S. Babilæ impoſitum per Johannem Plettenberg hujus Eccleſiæ Canonicum, qui fecit idem, de pecunia armarii parare, cum conſenſu capituli ad iſtud brachium.*

De hoc S. Babilâ M. R. ad IX. Kal. Febr.

Babila Epiſcopus Antiochiæ obdormivit in Domino, in perſecutione Decii, & poſteaquam frequenter paſſionibus ſuis, ac cruciatibus glorificaverat DEum,glorioſum vitæ finem ſortitus eſt in vinculis ferreis, quibus & ſuum corpus ſepeliri mandavit.

XVIII.

Machina *) quadrata argento obducta, cujus pars media ſuperior, ex ebore affabre facto, repræſentat nuptias in Cana Galilææ, parte inferiori ſtat in argento S. Johannes Baptiſta cum duobus Epiſcopis anonymis. Machina nondum eſt aperta, **) &

*) Rectius *arca*, vel potius truncus, quatuor digitos craſſus, in medio excavatus, cui tabula eburnea impoſita eſt cum elegantiſſima ſculptura. dubitare tamen licet, an per hanc nuptiæ in Cana Galilææ ſignificatæ ſint.

**) Aperuit aliquando Ill. Gruberus, atque ideo quæ ſequuntur, ſcripta reliquit: „Tabula eburnea, ſi claviculas exemeris, aperiri poteſt, infra quam in loculo „quercino latent quatuor folia membranæ optime conſervatæ, queis nitido cha„ractere latino inſcripta ſunt initia quatuor Evangeliorum: Matthæi quidam „liber generationis —— Jeſus, qui vocatur Chriſtus. Lucæ: Fuit in diebus He„rodis —— parare domino plebem perfectam. Marci: Inicium ewangelii —— „baptizabit vos ſpiritu ſancto. Johannis: In principio —— plenum gracia & ve„ritate. *Membrana puriſſima adhuc eſt ac pæne virginea; character autem ſæ„culi XII. ut dubium mihi nullum ſit, ab Henrico Leone dedicatæ à ſe eccleſiæ „donum hoc fuiſſe præſtitum, ob quam rem à tergo effigiati ſunt in medio Joan„nes Baptiſta, à dextra Epiſcopus cum baculo Epiſcopali, h. e. S. Blaſius, qui„bus duumviris eccleſia fuit dedicata, & à ſiniſtris Prælatus cum baculo cruciato, „qui forſan Abbas fuit primus, eccleſiæ recens conditæ præſidens.*" Eædem figuræ etiam conſpiciuntur in Plenario mox memorando.

Digitized by Google

& ſic neſcitur adhuc, quænam ibi lateant reliquiæ. Ex icone autem S. Johannis baptiſtæ, creditur de ipſius oſſibus quippiam ibi eſſe reconditum. Ditata eſt inſignis & pretioſiſſima hæc machina XVI. gemmis, in quibus unus Onyx Sardonius inuſitatæ magnitudinis, coloris, ex albo & rubro mixti, prorſus incomparabilis, maximique pretii, cui Romano more capita Marii & Cinnæ *) artificioſiſſime ſunt inciſa. Item alius adhuc Onyx Sardonius trium colorum, ſed non tam perfectus, ut præcedens. Habet & quatuor Saphiros & Carniolam artificioſè ſculptam. Itemque Rubinum nondum politum, qui naturæ luſu Venerandi alicujus & prolixe barbati Senis faciem exacte repræſentat.

XIX.

T. XIII. PLENARIVM, **) hoc eſt, liber MSStus in membrana, continens Evangelia ſuper Dominicas & Feſta Sanctorum, in quarto cujus ligaturæ pars ſuperior argento obducta reliquiarum plena

*) Has icones magis accedere arbitror ad capita *Trajani* & *Plotinæ;* ſed quare hunc locum occupent, dictu difficile eſt.

**) Hoc Plenarium (cujus tegmenti primi icones Tabula XIII. demonſtrat) ab Illuſtri Eccardo Origg. Guelf. T. II. p. 334. ita deſcribitur: "*Plenarium, Evangelia & lectiones dierum Dominicarum ac Feſtorum continens*, argenteis bracteis „ornatum, cui inſculpta ſunt in margine & quidem in quatuor angulis ſymbola „quatuor Evangeliſtarum; Jeſus in horto orans; ejus flagellatio ad columnam; „idem crucem ferens, cum addita littera *A.* cruce ſignata; Crucifixus cum litteris *A.* & Ω itidem cruce ſignatis. Reſurgens cum labaro in ſiniſtra, & dextra benedicente, & tandem in arcu cœleſtiglorioſe ſedens cum libro in ſiniſtra, „& benedicens dextra. In medio laminæ eſt imago Beatæ Mariæ Virginis, puerum Jeſum brachio ſiniſtro gerentis, eique dextra pomum oſtendentis inter „Petrum & Paulum. Sub ea eſt Johannes agnum paſchalem portans, ad cujus „dextram ſtat Epiſcopus cum libro & pedo, caput nimbo ſtellis ornato cinctus, „eodem, quo Apoſtoli, modo, ut intelligas inter Sanctos relatum. Hic vero non „alius eſſe poteſt, quam *S. Blaſius*, cui poſt Apoſtolos Eccleſia hæc dedicata „fuit,

Digitized by Google



BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III NAPOLI

Digitized by Google

plena eſt. Ex literis & abbreviaturis conſpicitur, antiquum eſſe hoc MSStum & ad Imperatoris Henrici IV.*) tempora pertinere. Renovatum autem eſſe Anno 1326. teſtatur inſcriptio.

Reliquiæ in ligatura abſconditæ ſunt ſequentes:

1. PHILIPPI & JACOBI Apoſtolorum.
2. STEPHANI Papæ & Martyris.

Hic

„fuit, ut manifeſtum eſt. —— Ad ſiniſtram Johannis Evangeliſtæ cernitur figura Præpoſiti, credo, ſiniſtra librum, dextra baculum crucigerum tenentis, „cum ſimplice limbo, qui defunctum, ſed non Sanctum indicat: Et exhibetur „forte *Adeloldus primus Præpoſitus S. Blaſii,* cujus nomen in Lipſanographia „N. XXIX. in f. annotatum exſtat,„

*) Rectius ad ſæculum IX. refert Gruberus, cujus verba, Eccardo ſubjuncta, hæc ſunt: "Codex ille Evangeliorum, qui *Plenarium* vocatur, membranaceus eſt in „forma quarta majore. In quo conſideranda ſunt primum tegumenta: deinde „duo folia membranacea, quorum alterum principio, alterum fini Evangeliorum „adjunctum eſt. Denique ipſæ membranæ, quibus Evangelia ſunt inſcripta. „Tegumentum inferius nihil habet memorabile. Eſt enim truncus ligneus quadratus, olim ſerico obductus, cujus fila quædam ſuperſunt ligno adhærentia. „At tegumentum ſuperius, quod oculos ferit, craſſitiem habet duorum pollicum. „Ligneum num ſit, diſcerni facile nequit, (quin facillime poteſt, nam bractea plus uno loco fatiſcit, & lignum prodit.) „quia exterius totum lamina argentea obductum „eſt, cui inſculptæ figuræ modo deſcriptæ. Huic deſcriptioni hoc quoque adjiciendum, quod figuræ iſtæ ſunt deauratæ. Interior facies hujus tegumenti, „quæ corio obducta eſt, continet titulum libri ita inſcripti: *Anno Dni milleſimo „trecenteſimo viceſimo ſexto renovatum eſt plenarium iſtud, in quo ſervantur iſte „reliquie ſuis locis circumſcripte.* —— Ad Evangelia ipſa quod attinet, quæ „corpus & ſubſtantiam libri conſtituunt, ſcripta ea ſunt in membranis tenuiſſimis, puris & admodum candidis, charactere eo, qui *ſæculi noni* proprius fuit. „Effigiatæ enim litteræ ſunt ad formam ejus ſcripturæ, quam Abbas Gottwicenſis tabula ſexta egregii Operis ad pag. 39. ære expreſſam exhibet. — — „Epocha Anni MCCCXXVI. libro adſcripta neminem morabitur; quia non ſcripti, „ſed *reparati* libri, cujus tegumenta longo uſu detrita fuerant, annum diſerte „enuntiat."

Digitized by Google

Hic in perſecutione Valeriani, dum Miſſæ ſacrum perageret ſupervenientibus militibus, ante altare intrepidus & immobilis cœpta myſteria perficiens, in ſede ſuâ decollatus eſt. Vid. M. R. ad IV. Non. Aug.

3. SS. FABIANI & SEBASTIANI martyrum.

De S. Sebaſtiano vid. ſup. Nro. VII.

De S. Fabiano hæc habet M. R. ad XIII. Kal. Febr. *S. Fabianus Papa tempore Decii martyrium paſſus Romæ, in cæmeterio Calliſti ſepultus eſt.* Ad quem locum Cardin. Baronius: *Hunc ſub Decio martyrio vita functum, conſtat ex Epiſtola Cleri Romani, quæ recenſetur trigeſima prima inter Cypriani Epiſtolas, editionis Pamelianæ, ac etiam ex S. Epiphanio in Lib. de menſuris & ponder. & S. Hieron. de ſcriptis Eccleſ. in Origine.*

4. S. VITI martyris. *)

Hic ſub Diocletiano Imperatore ex Sicilia in Lucaniam delatus, ibidem poſt ollam ferventis plumbi, poſt beſtias & cataſtas divina virtute ſuperatas, curſum glorioſi certaminis peregit. vid. M. R. ad XVII. Kal. Jun.

5. S. PETRI Apoſtoli.

6. De Veſtimentis B. MARIÆ virginis.

7. S. CHRISTOPHORI martyris.

Hic in Lycia Evangelium prædicavit & ſub Diocletiano capite truncatus eſt.

8. S. MARIÆ MAGDALENÆ.

9. S. ABDON martyris, de quo ſupra n. X.

10. BENEDICTÆ virginis.

De qua ſupra Num. X.

11. S. LUCIÆ virginis.

De qua M. R. ad Id. Decembr. Hanc Syracuſis in perſecutione Diocletiani cum lenones, quibus jubente Paſchaſio conſulari tradita eſſet, ut a populo caſtitati ejus illuderetur, ducere vellent, nullatenus eam movere potuerunt, nec funibus additis, nec boum jugis plurimis, deinde vero picem, re-

*) De translatione S. Viti, & inſtitutione Novæ Corbejæ ad Viſurgim, exſtat peculiaris Narratio apud Meibomium, ſcript. rer. Germ. T. I. p. 763. ſeqq.

reſinam, fervens oleum nil læſa ſuperans, tandem gladio in gutture percuſſa martyrium conſummavit.

12. S. WALBVRGIS virginis. *)

Fuit hæc comitiſſa Anglica, meminit ejus M. R. ad Kal. Maji.

13. Undecim millę virginum.

14. S. MENNÆ mart.

Hujus nominis IV. martyres recenſet M. R.

15. De LIGNO DOMINI.

16. S. CAYCIANILLÆ virginis.

Hanc M. R. non habet.

XX.

PLENARIVM ſive ut habet vetus inſcriptio **) Brunſvicenſis, *Magnus liber argenteus Ottonis M. Imperatoris, in honorem S. Blaſii Epiſcopi reliquiis impletus & pretioſiſſime exornatus.*

Liber ipſe in membrana MSStus & laminis argenteis deauratis cum 19. lapidibus pretioſis & 24. margaritis ornatus continet

*) Hæc erat genere nobiliſſima, natione Britanna, ex Anglo-Saxonum gente. Vide Acta SS. *Febr.* T. III. a d. XXV. p. 511. ſeqq. hoc lemmate: *de S. Walburge virgine & abbatiſſa Heidenheimenſi, Eyſtadii in Germania,* circa A. 780. Ibidem p. 517. ſeq. adſtruitur & multis exemplis oſtenditur, tot templa, ſacella & altaria ubivis terrarum ad illius honorem eſſe erecta, ut nullus ea ſit enumeraturus. *Helmſtadii* quoque illi templum conſecratum memorat Meibomius in Oratione de origine Helmeſtadii, Script. T. III. p. 230. poſt med.

**) Ubi hæc inſcriptio inveniatur Molanus reticet. Eadem certe non legitur in Indice reliquiarum Eccleſiæ collegiatæ S. Blaſii apud Leibnitium, Script. T. II. p. 59. ſeq. nec exſtat in hoc, de quo loquimur, Plenario; contra ex eodem liquet, Id ipſum factum eſſe A. 1339. quæ verba paulo infra recitat ipſe Molanus. Rei vero caput eſt, ipſam Plenarii hujus ſcriptionem de ſæculo XIV. teſtari, ab illa ſæculi X. ſive *Ottonis M.* longe diverſam. Maneat igitur, hocce Plenarium non *Ottoni M. Imperatori,* ſed *Ottoni Largo Duci Brunſvicenſi,* tribuendum eſſe; unde etiam Gruberus in exemplo Lipſanographiæ, quo uſus eſt, τὸ: *Ottonis M.* recte induxit, repoſuitque *Ottonis Largi Ducis.*

Digitized by Google

tinet Evangelia Feſtorum, charactere, quem monachalem vel Gothicum vulgo vocant, nitidiſſimo: Habet & imagines duas quadratas elegantiſſimè pictas & artificioſiſſimè coloratas (illuminationem veterem hanc vocant pictores & inter artes numerant deperditas.) Ligaturæ pars ſuperior monſtrat XXII. quadrata, totidem vitris clauſa & intus unionibus decorata, in quorum medio jacet particula de ligno Domini cruciformis, cujus extremitatibus inſcripta ſunt Evangeliſtarum ſymbola, unumquodque ſymbolum ornatur quatuor margaritis. Liber ipſe multis pretioſis lapidibus eſt refertus.

T. XIV. In inferiori ligaturæ parte ſtat S. Blaſius *) argento deaurato inciſus, coram quo ad dextram geniculans conſpicitur Dux Otto cum duobus Leopardis, antiquo domus Brunſvicenſis inſigni; ad ſiniſtram S. Agnes **) cum aquila ſuæ domus inſigni.

Argenteus ille liber præfert hanc inſcriptionem:

Anno Domini 1339. factum eſt plenarium iſtud, impoſitæ ſunt reliquiæ iſtæ:

1. SANGVIS DOMINI SACRAMEMTALIS.
2. De LIGNO DOMINI.
3. S. BLASII, de quo ſupra n. III.
4. S. THOMÆ Epiſcopi, de quo infra n. XXXVI.
5. De INNOCENTIBVS.

6. S.

*) En ejus, & reliquorum hic exſignatorum, ſimulacrum Tab. XIV.

**) Delenda eſt jam littera *S.* in tribus editionibus uſurpata, quippe quæ nec in archetypo nec in exemplo præſente conſpicitur; etenim hæc ſolita *Sanctitatis* nota nuſquam tribuitur AGNETI, filiæ Hermanni Marchionis Brandenburgici ex Anna Auſtriaca; viduæ, antequam nuberet OTTONI LARGO Duci Brunſvicenſi, Woldemari Marchionis Brandenb., mortuæ A. 1334. quam maritus decennio poſt per mortem ſecutus eſt. Vid. Ill. Kochii *Pragmatiſche Geſchichte des Durchl. Hauſes Br. Lüneb.* p. 184. ſeq. ad quæ caſtiganda eſt Erathi tabula genealogica IX.

Digitized by Google

Lips. Tab. XIV, pag. 40.



pt.

um
ius
oſt
br.

ter-

XI.

obr.
Her-
rum

Digitized by Google

4
ti
C
q
n
r:
d
n
ti
q
p
T. XIV.
I
(
ſ

Digitized by Google

6. S. LAVRENTII martyris, de quo ſupra num. II.

7. SS. Martyrum ABDON & SENNES, de quibus ſupra n. X.

8. S. PETRI Apoſtoli.

9. S. PAVLI Apoſtoli.

10. S. BARTHOLOMÆI Apoſtoli.

11. De Veſtimentis S. JOHANNIS Evangeliſtæ.

12. S. MATTHÆI Evangeliſtæ.

13. S. MARCI Evangeliſtæ.

14. S. LVCÆ Evangeliſtæ.

15. S. GODEHARDI Epiſcopi, de quo ſupra n. XV.

16. S. BERWARDI Epiſcopi, de quo ſupra n. XV.

17. S. AVCTORIS, de quo ſupra n. XV.

18. S. MAGNI Epiſcopi & martyris.

Hic Anagniæ in perſecutione Decii necatus eſt. vid. M. R. ad XIV. Kal. Sept.

19. S. CÆCILIÆ virginis.

Hæc ſponſum ſuum Valerianum & fratrem ejus Tiburtium ad credendum in Chriſtum perduxit, & ad martyrium incitavit. Hanc Almachius urbis præfectus poſt eorum martyrium teneri atque illuſtri paſſione poſt ignem ſuperatum gladio fecit conſummari. vid. M. R. ad X. Kal. Decembr.

20. S. CVNEGVNDIS virginis, *hanc M. R. non habet.*

21. S. ADELHEIDIS Imperatricis.

Vid. ſupra Nro. XI. (pag. 30. ſ. 6.)

22. S. URSULÆ. *)

Hæc pro Chriſtiana religione & virginitatis conſtantia ab Hunnis interfecta martyrium conſummavit. vid. M. R. ad XII. Kalend. Novembr.

XXI.

*) De S. Urſula vid. Laur. Surius in Sanctorum hiſtoriis, T. V. a. d. XXI. Octobr. p. 902. ſeqq. Peculiare & magnum volumen pro hac Virgine evulgavit Hermannus Crombach, S. I. hoc titulo: *Vita & martyrium Urſulæ & ſociarum undecim millium virginum.* Coloniæ Agr. 1647. Fol.

Digitized by Google

XXI.

Capſula plana argentea & valvata cum ſera & argentea catena, ut claudi poſſit. Valva ſuperior repræſentat Hiſtoriam annunciationis B. Mariæ virginis. Inferior Chriſtum crucifixum.

Continet capſula hæc reliquias ſequentes:

1. S. MATTHÆI Evangeliſtæ.

2. S. JOHANNIS Baptiſtæ.

3. De SPINEA CHRISTI CORONA.

4. De CRINIBVS S. MARIÆ virginis.

5. S. ODALRICI, (h. e. Ulrici.)

Hic Auguſtæ in Rhætia Epiſcopus, miræ abſtinentiæ, largitatis & vigilantiæ, ac miraculorum gratia illuſtris, obiit Anno Domini 973. ætatis 80. mentionem ejus facit M. R. ad IV. Non. Julii.

6. De MENSA DOMINI.

7. S. BARBARÆ virginis & martyris.

Hæc Nicomediæ in perſecutione Maximini poſt diram carceris macerationem, lampadum aduſtionem, mammillarum præciſionem atque alia tormenta, gladio martyrium conſummavit. M. R. ad Prid. Non. Decembr.

8. Iterum S. URSULÆ.

De qua ſupra num. XX.

9. S. THOMÆ.

De quo infra Num. XXXVI.

10. S. PETRI Apoſtoli.

11. S. JACOBI Apoſtoli.

12. S. BARTHOLOMÆI Apli.

13. UNGVENTVM DOMINI.

14. S. PHILIPPI Apoſtoli.

15. SS. APOSTOLORVM SIMONIS & JVDÆ.

16. S. PANCRATII, de quo ſupra n. VI.

17. S. PAVLI Apoſtoli.

Digitized by Google

18. S. ANDREÆ Apoſtoli.

19. S. VINCENTII, de quo ſupra n. X. XI.

20. S. NICOLAI, de quo ſupra n. XIV.

21. S. LODII – – – reliqua detrita.

22. S. STEPHANI, de quo ſupra n. XIX.

23. S. MATTHIÆ Apoſtoli.

24. S. GEORGII.

Septem numerantur Georgii in M. R.

25. S. MARTINI.

M. R. VII. martyrum hujus nominis facit mentionem.

26. MARIÆ MAGDALENÆ.

27. S. CHRISTOPHORI, de quo ſupra n. XIX.

28. XI. MILLE Virginum.

29. De VIRGA AARONIS.

30. De – – MARIÆ virginis.

31. S. JACOBI Apoſtoli.

32. S. BARNABÆ Apoſtoli.

33. S. SYLVESTRI, de quo ſupra Nro. XV.

34. S. GEREONIS.

Hic martyr Coloniæ Agrippinæ cum aliis 318. *in perſecutione Maximini pro vera pietate gladio patienter collum ſubdidit. M. R. ad VI. Idus Octobr.*

35. S. ALBANI.

Hujus nominis duo recenſentur in M. R.

36. S. CLEMENTIS. *)

Creditur hic eſſe, cujus Paulus meminit ad Philippenſes, cap. 4. *v.* 3.

37. S.

*) In Martyrologio Romano a. d. 23. Novembr. p. 805. ſequentia leguntur: *Natalis ſancti* CLEMENTIS *Papæ, qui tertius poſt beatum Petrum Apoſtolum Pontificatum tenuit, & in perſecutione Trajani apud Cherſoneſum relegatus, ibi alligata ad collum ejus anchora in mare præcipitatus, martyrio coronatur: cujus corpus Nicolao Primo Pontifice Romam translatum in Eccleſia, quæ ejus nomine* antea

37. S. LONGINI.

Horum V. nominantur in M. R.

38. S. GEORGII, de quo ſupra.

39. S.

antea fuerat exſtructa, honorifice reconditum eſt. Velut in tranſitu etiam notemus, S. Clementi dedicatam eſſe eccleſiam Romano-Catholicam quæ *Hanoveræ* viget.

T. XV. In hac S. CLEMENTIS notitia nunc quidem acquiescere poteramus; ſed nacti nuper tabulam æneam, à *Seeländero* noſtro jamdiu cælatam, deinde retruſam atque abditam, decrevimus eandem in apricum ideo proferre, quod, præter *S. Clementis reliquiarum translationem* ſæculo IX. factam, nonnulla ad *hiſtoriam Germaniæ*, ſeorſum ad *inſulam Piſcariæ*, pertinentia edoceat, ex annalium memoria propemodum evulſa. Cum vero non liquebat, quem ad finem, cujusve juſſu, hocce ſimulacrum confectum eſſet, aut ubi terrarum res hic depicta exſtaret: commode tandem conſuluimus clariſſ. Muratorii Italicarum rerum ſcriptores horumque T. II. P. II. Mediolani A. 1726. editam, ubi p. 772. hæc ipſa Tabula (à Seeländero curatiſſime repetita) Chronico Caſaurienſi adjuncta eſt; ex quo *translatarum reliquiarum* hiſtoriam jam brevibus narrare liceat.

Poſtquam Ludovicus II. Imp. Anno 866. monaſterium *Caſaurienſe* (vel *de Caſa aurea*, *Piſcarienſe* etiam, propter inſulam hujus nominis, nec non *ſanctiſſimæ Trinitatis*, appellatum, ſitum in Aprutio ulteriori ad mare Adriaticum) condiderat: obtinuit A. 872. ab Adriano II. PP. *reliquias S. Clementis*, novo monaſterio inferendas. Rei geſtæ ſeries in eccleſiæ oſtio æneo, auroque puriſſimo incruſtato, ſequenti modo, ut Tabula teſtatur, memoriæ commendata eſt: „Supra „arcum medium portæ, quæ ænea eſt, extat à capite ſculpta Urbs quædam his „verbis in medio, ROMA. Inde videtur Papa ſedens, qui capſulam tenet in „manibus onuſtam, & oſſibus plenam S. Martyris Clementis cum his literis: „ADRIANUS PP. II. Coram Pontifice extat cum genu curvo, & capite inclinato „Imperator cum his verbis: LUDOVICUS IMP. qui capit cum veneratione capſulam è manu Pontificis, ſub quo hi duo verſus leguntur, quibus Pontifex allo„qui videtur Imperatorem:

„*Ecce Pater patriæ magnum tibi confero munus*
„*Clementis corpus, tu ſacrum ſuſcipe funus.*

„Poſt Imperatorem extat quidam oblongis veſtibus indutus, qui enſem in manu „tenet cum his verbis à latere: SUPPO COMES. Poſt ipſum Comitem videtur „ſculptus idem Imperator, qui devotè capſulam illam imponi jubet ſupra animal

„quod-

Digitized by Google

f 3

Digitized by Google

„Ice tor, qui devote capitulum illud imponi jubet supra

„quod-

Digitized by Google

39. S. MAVRITII

Præfecti Legionis Thebææ, quæ tota ſub Maximiano pro Chriſto necata, glorioſa paſſione mundum illuſtravit. vid. M. R. ad X. Kal. Octobr. & ad hunc locum Card. Baron. Annotationes.

40. S.

„quoddam, & transmitti ad Monaſterium ab ipſo ædificatum, ipſis verbis SUB „IMPERIO LUDOVICI CAESAR., poſt quem videntur ſculpti duo Monachi, „qui obviam eunt capſulæ, ut eam recipiant, cum his verbis. Fr. Celſus, Fr. „Beatus: & poſt ipſos Monachos videtur ſculptum TEMPLUM SANCTISSIMAE „TRINITATIS, à quo egreſſi fuerant Monachi, & ubi Reliquiæ aſſervari debe- „bant, cum his verbis: TEMPLUM SS. TRINITATIS. ſub iſtis verbis extant „inciſi duo verſus, quibus Ludovicus Imperator alloquitur:

„*Martyris eximii Clementis ſuſcipe Corpus*
„*Inſula Piſcariæ, paradiſi floridus hortus.*

„Poſt videtur ſculptus Imperator cum his literis LUDOVICUS IMPERATOR, „qui porrigit ſceptrum dominii cuidam Abbati, qui primus fuit in monaſterio, „juxta quem literæ ſunt, ROMANUS ABBAS PRIMUS, ſubtus autem hic ver- „ſus legitur:

„*Sceptro firmamus: regimen tibi ſume, rogamus.*

„Poſt iſta videtur quidam veſtibus oblongis indutus cum his literis à latere, SI- „SEMANDUS MILES, qui ſceptrum tenet in manibus cum hiſce verbis: CAE- „SAR VESTRA SIT HAEC INSULA PISCARIAE. Ex quibus verbis claré „colligitur, hunc dominum fuiſſe temporalem Inſulæ. Poſt ipſum videtur Epiſ- „copus, qui tenet Inſulam in manibus ſculptam, eamque offert Imperatori, qui „eam recipit. Circa Epiſcopum hæc verba leguntur: GRIBALDUS EPISCO- „PUS. Circa autem Imp. ita LUDOVIC. IMP. Tenet Epiſcopus in manibus „ſcriptum hujus tenoris: DAMUS VOBIS OMNE JUS NOSTRUM DE HAC „INSULA. Unde colligitur Gribaldum Epiſcopum Pinnenſem, qui alias Gri- „maldus dicitur, (*immo* Grimbaldus) omne jus conceſſiſſe Ludovico Imperatori „de Inſula iſta. Subtus autem hi verſus leguntur:

„*Inſula Piſcariæ quæ noſtri juris habetur,*
„*Libera perpetuo tua Cæſar jure vocetur.*

„Retro Imperatorem videtur ſculptus Comes quidam togatus enſem geſtans cum „hiſce literis, HERIBALDUS COMES, hujus rei fortaſſe teſtis. Hæc porta „illa ænea continet rei peractæ pervetuſtum, ac nobile documentum, quod cum „ſcripta hujus Cœnobii hiſtoria adamuſſim convenire videtur."

Digitized by Google

40. S. GREGORII.

M. R. XVI. numerat Gregorios, ex quibus IV. Pontifices, X. Epiſcopi, unus decapolita, unus presbyter. Quoniam igitur hic S. Gregor. allegatur ſine officii ſui titulo, perquam fit veriſimile, illum eſſe de quo M. R. ad IX. Kal. Jan. Apud Spoletum Gregorius presbyter & martyr temporibus Diocletiani & Maximiani primo nodoſis fuſtibus cæſus, deinde poſt craticulam & carcerem, carduis ferreis in genibus percuſſus, ſed & ardentibus lampadibus per latera incenſus, tandem eſt decollatus.

41. S. PONTIANI.

M. R. VI. numerat Pontianos, ad quem noſter pertineat, incertum.

42. SS. COSMÆ & DAMIANI. *)

Hi profeſſione Medici & fratres, quod gratis curarent ægrotos, ἀνάργυροι dicti, in perſecutione Diocletiani poſt multa tormenta, vincula & carceres, poſt mare & ignes, cruces, lapidationem & ſagittas divinitus ſuperatas, capite plectuntur. M. R. ad V. Kal. Octobr.

43. S. FORTVNATI.

Horum XVIII. numerat M. R.

44. S. SERVATII, de quo ſupra n. XV.

45. S. LVCÆ Evangeliſtæ.

46. S. GERTRVDIS, de qua ſupra n. XI.

47. S. AGNETIS, de qua ſupra n. X.

48. S. ARNVLPHI.

Hic unus erit ex duobus, quos M. R. memorat ad XV. Kal. Aug. & XVIII. Kal. Sept.

49. S.

*) Confr. Syntagmatis hiſtorici, ſeu veterum Græciæ monimentorum de ſanctis anargyris Coſma & Damiano, P. I. ubi agitur *de ſanctis Coſma & Damiano confeſſoribus ex Aſia,* qui coluntur in Græca Eccleſia 1. Novembr. interprete R. P. *Simone Wangnereckio Soc. Jeſu.* Viennæ Auſtriæ 1660. 4. Pars II. agit de duobus Martyrum hujus nominis paribus, *Romanorum* ſcilicet ac *Arabum,* Hiſce etiam monaſterium Canonicarum ſecularium *Wunſtorpienſe,* nobis vicinum, ſæculo IX. dedicatum fuiſſe, perhibet Lerbeccius in Chron. Epiſcoporum Mindenſium; apud Leibnitium ſcript. Brunſv. T. II. p. 159. Plura dabunt Acta SS. *Septembr.* T. VII. a. d. XXVII. pag. 428 - 478.

Digitized by Google

49. S. DONATI.

XVIII. fuere Donati martyres ſecundum Martyrolog. Rom.

50. S. CATHARINÆ virgin. & martyr.

M. R. numerat hujus nominis martyres tres.

51. S. FLORIDÆ virginis.

Hujus Mart. R. non meminit.

52. S. ANNÆ matris B. virgin. Mariæ.

53. S. AGATHÆ.

Hæc virgo & martyr Catanæ in Sicilia temporibus Decii Imperatoris ſub Quinctiano judice, poſt alapas & carcerem, poſt equuleum & torſiones, poſt mamillarum abſciſſionem, poſt volutationem in teſtulis & carbonibus, tandem in carcere DEum precando conſummata eſt. vid M. R. ad Non. Febr.

54. S. BLASII, de quo ſupra n. III.

55. S. AVGVSTINI.

Hic fuit Epiſcopus Hipponenſis & Eccleſiæ Doctor eximius, B. Ambroſii Epiſcopi operâ ad Catholicam fidem converſus & baptizatus, eam adverſus Manichæos aliosque Hæreticos acerrimus propugnator defendit. Floruit Sec. V. & Mortuus Ao. 433. *Verba ſunt M. Romani* ad V. Kal. Sep.

56. S. CHRYSOGONI martyris.

Hic poſt longa vincula & carceres pro conſtantiſſima Chriſti confeſſione toleratos, jubente Diocletiano Aquilejam perductus, ibidem capite cæſus & in mare projectus martyrium conſummavit. vid. M. R. ad VIII. Kal. Decembr.

57. S. BENEDICTI.

M. R. VII. numerat Benedictos.

XXII.

Buſtum *) mitratum argento circumdatum repræſentans faciem S. Coſmæ.

In

*) Rectius caput vel vultus pectore tenus. Etenim quid *Buſtum* Latinis ſit, non eſt ut moneamus. Sed per hoc etiam, ut in præſentia, denotari id quod Franco-Galli vocant *ſtatuë à demi-corps*, ſive *Buſte* (nos *ein Bruſtbild*), ne quidem ex infima Latinitate apud Dufreſnium, aliisque Gloſſariis apparet.

In hoc buſto jacet pars Cranii argento ex parte eleganter obducti cum hac inſcript:

DE CAPITE S. COSMÆ. v. ſupra n. XXI.

XXIII.

Pyramis argentea inaurata, in qua ſervatur DIGITUS S. CHRISTINÆ.

S. Chriſtina virgo & martyr Tyri in Tuſcia apud lacum Vulſinum, cum in Chriſtum credens, patris idola aurea & argentea comminuiſſet, ac pauperibus erogaſſet, ejus juſſu verberibus dilaniata, aliisque ſuppliciis diriſſimè cruciata, & cum magno ſaxi pondere in lacum projecta, ſed ab Angelo liberata: Deinde ſub alio judice patris ſui ſucceſſore acerbiora tormenta conſtanter perferens, noviſſimè à Juliano præſide poſt fornacem ardentem, ubi quinque diebus illæſa permanſit; Poſt ſerpentes Chriſti virtute ſuperatos, abſciſſione linguæ & ſagittarum infixione martyrii ſui curſum complevit. vid. M. R. ad IX. Kal. Auguſt.

XXIV.

Pyramis argentea inaurata, operis Gothici, cui impoſita eſt effigies CHRISTI CRUCIFIXI. In ejus medio duo Angeli comparent, ſequentes Reliquias tenentes:

S. ALBINÆ virginis & martyris.

Hæc ſub Decio Imperatore Formiis in Campania pro Chriſto paſſa eſt. vid. M. R. ad XVII. Kal. Jun.

2. S. LEOTHARDI. Hunc M. R. non habet.

3. S. CATHARINÆ virginis, de qua ſupra n. XXI.

4. S. PETRI Apoſtoli.

5. SS. COSMÆ & DAMIANI, de quibus ſupra n. XXI.

6. S. BERNHARDI Abbatis.

De hoc M. R. ad XIII. Kal. Sept. S. Bernardus primus Clarevallenſis Abbas vita, doctrina & miraculis glorioſus. Addit Cardinalis Baronius, *eum ex hac vita migraſſe Anno* 1153. *quem Alexander Papa III. inter Sanctos cenſuerit annumerandum*

7. S.

Digitized by Google

7. S. MATTHÆI Apoſtoli & Evangeliſtæ.

8. Reliquiæ cum græca inſcriptione, cujus ſint, pyramide nondum aperta legi non potuit. Circa pedem legitur:

AVE MARIA GRATIA PLENA.

XXV.

Brachium & manus argento obducta & XI. lapidibus pretioſis ornata cum inſcriptione:

BRACHIVM S. CÆSARII.

Hic primum Abbas Lerinenſis poſtmodum Epiſcopus Arelatenſis in M. R. ad VI. Kal. Sept. appellatur: Vir miræ Sanctitatis & pietatis. Vixit temporibus Symmachi Papæ & Anaſtaſii Imperatoris, teſte Baronio ad hunc locum.

XXVI.

Brachium & manus argento obducta ſtylobatæ inſiſtens, cum hac inſcriptione:

Brachium S. THEODORI martyris. *)

Circum eandem ſtylobatam legimus:

DVX HENRICVS ME FIERI JVSSIT AD HONOREM DEI.

M. R. mentionem facit XXVI. ſanctorum hujus nominis. Inter quos cum ſint Archiepiſcopus unus & Epiſcopi ſex, perquam veroſimile eſt

*) Vide ejus ſimulacrum ad N. IX. Brachium hoc ad Archiepiſcopum Cantuarienſem ideo pertinere exiſtimat Lipſanographus, quod Henricus Leo Anglicæ nationi vehementer favebat. Quomodo autem hæc cohæreant, non video. Conſtat quidem, inter Archiepiſcopos Cantuarienſes ſæculi VII. *Theodorum* numerari, de quo inſpicienda ſunt Acta SS. *Septembr.* T. VI. a. d. XIX. p. 55-82. Veruntamen is non *martyr*, ſed ſicca morte A. 690. obiiſſe dicitur, verbis p. 82: *ſenex & plenus dierum, id eſt annorum octoginta octo, defunctus eſt, quem ſe numerum annorum fuiſſe habiturum, ipſe jam dudum ſomnii revelatione edoctus ſuis prædicere ſolebat.* Igitur in ſententia, quam ad N. IX. jam protuli, permaneo, hic reſpici, vel ad quendam *Theodorum* Thebanæ legionis ſodalem, vel ad alium iſtius nominis, in Sanctorum hiſtoria longe frequentiſſimi, martyrem.

Digitized by Google

eſt, brachium hoc ad Archiepiſcopum Cantuarienſem pertinere & ab Henrico Leone, Anglicæ nationi vehementer favente, in hujus martyris memoriam ita eſſe ornatum.

XXVII.

Manus & brachium argento inaurato eleganter obductum: circumcirca conſpicitur Chriſtus cum XII. Apoſtolis: Cujus ſit brachium, machinà hactenus nondum apertà, ignoratur.

XXIIX.

T. XVI. Altare *) cum duabus alis ex argento ſolido deaurato. In medio altaris conſpicitur effigies B. Virginis MARIÆ ſedentis ex ebore eleganter ſculpta, dextra filium, ſiniſtra pomum tenentis. In dorſo alarum ſcripta ſunt nomina ſanctorum, quorum reliquiæ huic altari ſunt incluſæ,


Hoc modo:

AN	--	--	DR	AS	--	--	II
EE	--	--	AP	GE	--	--	OR
LI	--	--	MA	GI	--	--	IC
UR	--	--	IC	LA	--	--	RE
II	--	--	BL	VI	--	--	RG
				IN	--	--	IS.

hoc eſt,

I. AN-

*) In Lipſanographia, germanice ſcripta, rectius vocatur *ein Heiligenhaus*, vel *Häusgen*, i. e. ædicula. Vid. Tabula XVI. Ædium argentearum, à *Demetrio* quodam argenti cælatore, *Dianæ* factarum, mentio ſit Act. Apoſt. XIX, 24. quod teſtimonium excitat ipſe Ferrandus in Diſquis. reliquiaria, p. 483. oſtendens, ejusmodi domunculas etiam vocari *ædiculas, coopercula, ciboria, votiva templa, arte locata delubra, thecas* & *loculamenta*. Verum ſimul monet, ab iisdem concluſionem ad *Sanctorum ædiculas* male & impie proferri.



BIBLIOTECA NAZIONALE "VITTORIO EMANUELE III" NAPOLI

Digitized by Google

Digitized by Google

1. ANDREÆ APLI (Apoſtoli) MAURICII, BLASII, GEORGII, CLARE VIRGINIS.
2. De Mauritio vid. ſupra n. IX.
3. De Blaſio vid. ſupra Nro. III.
4. De Georgio vid. - - Nro. XXI.
5. De CLARA virgine hæc habet M. R. ad Prid. Idus Auguſt. *Aſſeſii in Umbria S. Claram virginem, primam plantam pauperum fœminarum ordinis minorum, vita & miraculis celebrem, Alexander III. in numerum ſanctarum virginum retulit.* Addit Cardinalis Baronius factum eſſe hoc anno 1255.

XXIX.

Ciſta quadrata ex raro lapide, argento ad marginem obducta, in qua jacent ſequentes Reliquiæ:

1. S. SEVERI confeſſoris.

Ex XIII. Severis ſanctitate conſpicuis hæc reliquia pertinet ad Severum presbyterum & confeſſorem, qui ex India, Evangelii prædicandi cauſa, laborioſam ſuſcepit peregrinationem & Viennam deveniens, ingentem paganorum multitudinem verbo & miraculis ad fidem Chriſti convertit, v. M. R. ad VI. Id. Aug.

2. Faſciculus reliquiarum ex ſyndone rubri coloris, quarum nomina ignorantur.
3. Alius faſciculus linteus reliquiarum innominatarum.
4. Quatuor parvi faſciculi reliquiarum, in uno faſciculo majori jacentes, hanc præferunt inſcriptionem: Hunc lapidem conſecratum dedit ADEHOLDVS præpoſitus S. Blaſii.

XXX.

EFFIGIES CHRISTI CRUCIFIXI inaurata, ſed ſine reliquiis.

XXXI.

Machina parva argentea partim deaurata in forma monſtrantiæ, in cujus medio cryſtallus, ſub quo cubant ſequentes Reliquiæ:

1. S. JACOBI MAJORIS Apoſtoli.

2. SS. PHILIPPI & JACOBI Apoſtolorum.

3. S. BARTHOLOMÆI Apoſtoli.

4. S. MARCI Evangeliſtæ.

5. S. ANNÆ matris glorioſiſſimæ virginis MARIÆ.

6. MARIÆ MAGDALENÆ.

7. S. ELISABETHÆ.

De qua Martyrologium R. ad XIII. Kal. Decembr. *In oppido Marburg, in Germania, depoſitio S. Eliſabethæ viduæ, Andreæ Regis Hungarorum filiæ, quæ pietatis operibus aſſidue intenta, miraculis clara, migravit ad Dominum.* Ad quem locum Cardinalis Baronius: *De hac S. Eliſabetha extant duplices literæ Apoſtolicæ Gregorii Papæ Noni, priores, de inquiſitione miraculorum ejus ad Epiſcopum Hildeſienſem & Abbates Moguntinæ diæceſis ſcriptæ, anno octavo ſuæ ſedis, poſteriores vero de Ejusdem Canonizatione.*

Hanc Eliſabetham maritum habuiſſe Ludovicum Haſſiæ Landgravium, mortuam & ſepultam eſſe in templo Marpurgi à ſe conſtructo anno 1231. ex profana hiſtoria conſtat. *)

XXXII.

Parva crux argentea deaurata atque affabre elaborata ac 53. lapidibus pretioſis ornata. Reliquiæ, quæ in dorſo crucis olim reconditæ, una cum 4. lapillis ſunt deperditæ.

XXXIII.

Machina ex argento ſolido ſuperiore ſui parte deauratá in formá patenæ, in cujus medio Chriſti crucifixio matri per- larum

*) B. Eliſabetha non paucos nacta eſt vitæ ſuæ ſcriptores, qui laudantur in Bibliotheca hiſtorica ſelecta Struvio-Buderiana, p. 1167. Quibus addi poſſunt Martene & Durand ampliſſ. Collect. vett. ſcript. T. 1. p. 1254. ſeq. Schœttgenii Diplomataria & ſcriptores medii ævi, T. 1. p. 107. ſeq. item *Arnoldi Twicken*, monachi Hanoverani, vita S. Eliſabethæ, dialecto Saxoniæ infer. ſcripta, A. 1474. qui libellus manu ſcriptus exſtat in Bibliotheca Regio-Hanoverana.

Digitized by Google

larum *) eleganter inciſa, in parte averſa crucifixum in formâ plana cum hac inſcriptione:

SALVE CRUX DIGNISSIMA SUPER OMNE LIGNUM.

Reliquias habet:

1. De SANGVINE S. STEPHANI protomartyris.
2. De PETRA STEPHANI, qua Judæi lapidabant eum.
3. S. SEBASTIANI, de quo ſupra n. VII.
4. In hac patella ſyndon eſt, in qua latet alius faſciculus rotundus, acu pictus, in cujus medio:
   1) De LIGNO DOMINI NOSTRI JESV CHRISTI.
   2) S. BARTHOLOMÆI Apoſtoli.
   3) S. Cyriaci, de quo ſupra n. XI.
   4) S. CHRISTOPHORI, de quo ſupra n. XIX.
   5) S. BLASII, de quo ſupra n. III.
   6) S. NICOLAI, de quo ſupra n. XIV.
   7) S. VITI, de quo ſupra n. XIX.
   8) S. MAURICII, de quo ſupra n. IX.

XXXIV.

Hierotheca argentea cum catena ejusdem metalli, hujus operculum repræſentat Chriſtum in ſepulchro, valva inferior S. Mariam matrem Domini, Chriſtum crucifixum manibus tenentem, ſupra Spiritum S. in forma columbæ.

In capſula jacet:

1. AGNUS DEI cum inſcriptione:
   AGNUS DEI MISERERE MEI.
   Paulus Venetus PP. II. M CCCC X.

2 Frag-

*) Intelligit Auctor concham margaritiferam, quæ Gallis *Nacre* vocatur, nobis *Perlenmutter;* ex quo haud dubie nata eſt *mater perlarum*, ſicut ex Gallico *baſlum*, de quo ſupra ad N. XXII.

2. Fragmentum AGNI DEI.

3. Reliquiæ S. BABILÆ Epiſcopi & martyr.

De quo ſupra Nro. XVII.

XXXV.

Vaſculum argenteum cum ligulis rubris earumque aculeis argenteis, cujus operculum exhibet iconem B. Mariæ virginis in cælatura, fundus autem S. Mariam cum Filio in ſculpturâ. Jacet in capſula

Faſciculus ex ſyndone, in qua nonnullæ reliquiæ incertorum Sanctorum.

XXXVI.

Theca argentea cum magna catena ejusdem metalli, in cujus operculo ſcriptum charactere monachali:

AGNVS DEI QVI TOLLIT PECCATA MVNDI.

Valva inferior exhibet S. VERONICAM linteum tenentem, in quo Chriſti facies repræſentatur, cum hac inſcriptione:

SALVE S. FACIES NOSTRI REDEMTORIS.

In eadem habentur Reliquiæ ſequentes:

1. AGNUS DEI.

2. PARS CRANII DE S. BLASIO; de quo ſupra n. III.

3. AGNVS DEI.

4. DECEM MILLIVM MILITVM LEGIONIS THEBÆÆ.

5. De S. THOMA Cantuarienſi Epiſcopo.

De quo M. R. ad IV. Kal. Januar.

S. Thomas Epiſcopus Cantuariæ & martyr ob defenſionem juſtitiæ & immunitatis Eccleſiaſticæ, impiorum hominum factione in Baſilica ſua gladio percuſſus migravit ad Chriſtum. (vide infra N. CXXIII.)

6. FASCICVLVS ex rubra ſyndone, in qua nonnullæ reliquiæ incertorum Sanctorum.

7. FASCICVLVS adhuc alius.

XXXVII.

Digitized by Google

XXXVII.

Hierotheca argentea, in cujus operculo repræſentatur Chriſtus in argento operis cælati, parte inferiore S. Maria cum Filio in argento ſculpta. Intus nihil reperitur niſi

FRAGMENTVM de AGNO DEI.

XXXVIII.

Capſula argentea cum loro, cujus operculo inſculpta S. ANNA cum Filia & Nepote, h. e. S. ANNA cum B. MARIA virgine & CHRISTO. Intus nihil reperitur niſi fragmentum de AGNO DEI.

XXXIX.

Crux argentea cum IV. Symbolis Evangeliſtarum & catena argentea cryſtallo ornata.

XL.

Crux argentea cum catena ejusdem metalli & cryſtallo plano, in quo conſpicitur

CHRISTVS CRVCIFIXVS operis cælati.

Continentur in hac cruce Reliquiæ ſeqq.

1. CONSTANTII martyris.

Hic Treviris in perſecutione Diocletiani ſub Rectio Varo Præſide paſſus eſt. vid. M. R. ad Prid. Idus Decembr.

2. De S. PAVLO Apoſtolo.

3. De Veſtimentis S. FRANCISCI Auctoris Ordin. Franciſcani.

4. FRAGMENTVM de parvo AGNO DEI.

5. FASCICVLVS de rubra ſyndone incertorum Sanctorum.

6. Ejusmodi alius FASCICVLVS.

XLI.

Digitized by Google

XLI.

Imago argentea CHRISTI CRVCIFIXI (operis cælati) reliquias non continet, ſed ad ornatum altaris S. Blaſii ab anonymo donatum d. 3. Aug. 1574.

XLII.

Marſupium rubrum, in quo faſciculus ex ſyndone viridi, in qua reliquiæ incertorum Sanctorum & lapis pretioſus major, qui pertinere creditur ad crucem ſub N. I.

XLIII.

CHRISTI CRVCIFIXI effigies eleganter inaurata cum 4. Evangeliſtarum ſymbolis. Intus jacent reliquiæ

1. De LIGNO DOMINI.
2, De SVDARIO DOMINI.

XLIV.

Machina argentea deaurata in forma monſtrantiæ operis Gothici, in ſummitate ſtat Chriſtus, ſub quo S. Johannes Baptiſta agnum, quem portat, digito commonſtrans. Circumcirca pendent campanulæ argenteæ, & in medio machinæ conſpicitur os ſubnigrum, auro ſolido ſuperne & inferne incluſum, cum inſcriptione:

OS de OSSIBVS S. JOH. BAPTISTÆ.

XLV.

T.XVII. Crux magni ponderis pretiique ex auro ſolido, ſuſtentata à ſat grandi pede argenteo inaurato: ſplendidiſſimè exornata eſt hæc machina tum filatim elaborato aurificis opere *(filagrain)* cum 25. gemmis, inter quas 4. Saphiri rariſſimi & magni pretii, 334. item margaritæ puriſſimæ. Continentur hac arca reliquiæ ſequentes:

Digitized by Google

Lips. Tab. XVII, *p.* 56



Digitized by Google

Digitized by Google

1. S. PETRI Apoſtoli.
2. MARCI Evangeliſtæ.
3. S. JOHANNIS Baptiſtæ.
4. S. SEBASTIANI, de quo ſupra n. VII.

XLVI.

Machina magna in forma templi rotundi ſtructuræ rariſſimæ, quam cum ante aliquot annos in hoc Electorali reliquario conſpiceret mercator quidam Genuenſis, vir fide dignus & in aula notus, de ſtupendi hujus operis præſtantia rogatus, ſequens dedit teſtimonium:

L'on doit examiner outre les reliques là rareté de ce travail, & la longueur du tems, qu'il faut pour perfectionner un tel ouvrage. Premierement tous ces petits morceaus, que vous voyes, ſont de Diaſpre, qui eſt une eſpece de marbre oriental, mais d'une dureté incroyable. Il faut donc le ſier (ſcier) morceau par morceau & pour en faciliter le travail, il faut ſe ſervir d'une poudre, que l'on appelle Smeriglia, qui vient à cette heure d'Eſpagne, & comme l'on fait à preſent en Italie quelques ouvrages ſemblables, j'ay veu, que pour en ſier un morceau de trois doigts, il faloit un mois de tems. L'on peut par la conjecturer, combien il faut joindre avec peine de petits morceaus pour faire une petite table d'un deſſein bien plus moderne, mais plus materiel, un ouvrier Italien au ſervice du Prince de Heſſe Caſſel a eté cinq années de tems à en faire une, & encore n' eſt elle pas achevée. Pour moy par le peu de connoiſſance, que j'en ay, je crois qu'il faut la vie d' un homme pour achever un ſemblable ouvrage comme le preſent.

Artificioſiſſimo hoc opere templi fornix ſive pars ſuperior magna ſui parte tegitur, quod reſtat, una cum tota parte in-

 ferio-

Digitized by Google

feriori undique eburatum eſt, habetque XXXIII. loculamenta *(Niches)* & in his totidem figuras eburneas perquam eleganter fabricatas.

Præterea machina hæc exhibet multa ſcripturæ dicta, vel dictorum particulas, quorum tamen nonnulla nec legi poſſunt, nec intelligi.

Circum circa ſcriptum eſt:

VENIT JESVS IN PARTES CÆSARIÆ PHILIPPI ET INTERROGAVIT DISCIPVLOS SVOS DICENS.

In loculamentis *(Niches)* leguntur ſequentia & quidem in infimo illorum:

1. TU ES CHRIST. FILIUS DEI VIVENT.

In 2. VOS AUTEM QUEM ME ESSE DICITIS QUEM DICUNT HOMINES ESSE FILIUM.

3. EX PRO.

4. PHE.

5. TIS.

6. PRO.

7. ALII JOAN.

8. BAPTISTAM.

9. ALII.

10. HELIAM.

11. ALII VE.

12. RO HIEREMIAM.

13. AUT UNU.

In 1. autem ſuperiori loculamentorum:

ECCE LOCUS UB:

2. ECCE VIRGO CONCIPIET FILIUM.

3. QUASI ROTA IN MEDIO.

4. CUM

Digitized by Google

4. CUM VENERIT SANCTUS SANCTORUM CUM.
5. ECCE AGNUS DEI.
6. – – –
7. HOSE DNZ.
PNCIPIUM LOQVENDI IN – –
8. RESIDUUM ERVE – – –
9. PASTOR EGO SUM – – –
10. ASCENDENT SALVATORES IN MONTE.
11. – – – – – –
12. TOLLE ANIMAM MEAM.
13. QVI TETIGERIT VOS TAN:
14 PT. KI. TRIS. VIS. E.
15. DIES IRÆ DIES ILLA.
16. AVE REX.
17. CCDET GLADIO SIU.
18. DOMINE AUDIVI AUDIT.
19. ONUS NINIVE.
20. V. BU. DNI. AD.

Reliquias in templi fabrica hac pretioſiſſima jacuiſſe non ſit veroſimile, credibilius autem, in actibus valde ſolennibus pro expoſitione Sacramenti Altaris aut oleis forte conſecratis fuiſſe uſurpatum.

XLVII.

Arcula lignea ſuperpicta in forma ſepulchri continet:

1. CAPUT S. WALBURGIS VIRGINIS.
De qua ſupra Nr. XIX.
2. CAPUT ANONYMUM, quod creditur eſſe S. Barbaræ.
Schedula, cui nomen fuit inſcriptum, eſt deperdita.

Digitized by Google

XLVIII.

Brachium ligneum deauratum cum hac inſcriptione:
PARS BRACHII decem millium militum legionis Thebææ.

XLIX.

Brachium ligneum deargentatum, cujus manus pyxidem tenet, cum hac epigraphe:
BRACHIUM S. MARIÆ MAGDALENÆ.

L.

Machina argentea deaurata in forma monſtrantiæ, in cujus apice Chriſtus crucifixus. Intus conſpicitur una reliquia de UNDECIM MILLE VIRGINIBUS.

LI.

Lapis quadratus ſine omni ornatu ligno incluſus, cui adſcriptum:
DE PETRA SUPRA QVAM NATUS EST CHRISTUS.

LII.

Pars magna de TVNICA S. Annæ matris S. Mariæ virginis.

LIII.

Lapis quadratus vulgaris figuram altaris portatilis referens, (NB. non auro, uti perperam typographus in hujus Lipſanographiæ editione priori germanica anni 1697. pro Holtz impreſſerat Gold, ſed) ligno querno circumdatus ſine inſcriptione. Reliquiæ hic reconditæ incertæ ſunt.

LIV.

Machina argentea inaurata in forma Monſtrantiæ, in cujus ventre cryſtallino aſſervantur reliquiæ ſequentes:

I. POL-

1. POLLEX DEXTER S. CYPRIANI.

De quo M. R. ad XVIII. Kal. Octobr.

S. Cyprianus Carthaginenſis Epiſcopus Sanctitate & doctrina clariſſimus, qui in Africa ſub Valeriano & Gallieno Principibus poſt durum exilium, detruncatione capitis martyrium conſummavit, ſexto milliari à Carthagine juxta mare.

2. Reliquiæ ss. BERWARDI & GODEHARDI, de quibus ſupra n. XV.
3. S. ANNÆ matris B. Virginis Mariæ.
4. PULVIS de POLLICE S. CYPRIANI.
5. FASCICVLVS ex rubra ſyndone reliquiarum de SS. incertis.
6. De TVNICA S. ANNÆ matris B. Virginis.
7. PANNICVLVS fuſcus attritus & laceratus.

LV.

Pyramis argentea inaurata, in cujus ventre cryſtallino OS S. SEBASTIANI, de quo ſupra n. VII.

LVI.

Machina argentea inaurata in formâ monſtrantiæ, cujus apex Chriſtum exhibet crucifixum, in medio cryſtallino latet Reliquia, cujus autem illa ſit, docet ſequens epigraphe, pedi monſtrantiæ charactere monachali inſculpta: Tab. XVIII.

DENS S. JOHANNIS BAPTISTÆ. *)

LVII.

*) Vi teſtamenti ab Ottone IV. Imp. facti hunc *Dentem* inter Clenodia Imperii refert Celeb. Eccardus, furtique inſimulat Henricum Comitem Palatinum, quod is omiſerit tradere huncce Dentem Friderico Regi. Vid. Origg. Guelf. T. III. p. 81. & p. 366. ſeq. Veruntamen ibi Eccardum longo & acri ſermone oppugnat Gruberus, demonſtrans, *Dentem Joannis*, Hanoveræ ſervatum, plane diverſum eſſe ab eo qui *Clenodiis Imperii* adſcribitur; ſi quidem non ſolum S. Joannes, ſicut cæteri homines, plures uno dente habuerit; (unde etiam hi in variis locis à Grubero nominatis oſtenduntur) verum etiam ipſe ille ad Cimelia Imperii ſpectans à Ludovico Bavaro Imp. ad Carolum IV. pervenerit.

LVII.

Crux argentea inaurata duplex XIV. lapidibus pretioſis majuſculis adhuc ornata, in ejus baſi Donatoris inſigne expreſſum. Intus habentur reliquiæ:

1. De CASVLA S. MATTHÆI Apoſtoli.

2. De S. YPPOLITO.

Hujus M. R. non meminit, creditur autem Capitaneus fuiſſe Romanus, qui cum juſſu Decii S. Laurentium initio ſui martyrii ligaverit, ab eodem ad Chriſtum converſus, ejusdem tyranni mandato ab equis ſit diſcerptus.

3. S. CLEMENTIS de quo ſupra n. XXI. *)

4. S. GORGONI. Hunc M. R. non habet.

5. S. JVDÆ Apoſtoli.

6. S. MARTII Papæ.

Legendum forte MARTINI. *Hic Romæ coactâ Synodo, cum Sergium, Paulum & Pyrrhum hæreticos damnaſſet, juſſu Conſtantis Imperatoris hæretici per fraudem captus, & Conſtantinopolin perductus in Cherſoneſum relegatus eſt, ubi ob catholicam fidem ærumnis confectus vitam finiit, multisque miraculis claruit, cujus corpus poſtea Romam translatum, in Eccleſia SS. Sylveſtri & Martini conditum fuit. v. M. R. ad Prid. Id. Nov.*

7. S. APOLLINARIS.

Hic Ravennatenſis Epiſcopus ab Apoſtolo Petro Romæ ordinatus, & Ravennam miſſus pro fide Chriſti diverſas & multiplices pœnas perpeſſus eſt. Poſtea in Æmilia Evangelium prædicans plurimos ab idolorum cultu revocavit, tandem Ravennam reverſus ſub Veſpaſiano Cæſare glorioſum martyrium conſummavit. M. R. ad X. Kal. Aug. Cum ſub Flavio Veſpaſiano nulla fuerit in Chriſtianos excitata perſecutio, monet ad hunc loc. Cardin. Baronius ex Suetonio, hujus Imperatoris temporibus non temere inſontem quempiam punitum, niſi eo abſente & ignaro, aut certè invito atque decepto.

8. S.

*) Vide nos ibidem, p. 43. ſeqq.



Lips. Tab. XVIII, *p. 61,*

Digitized by Google

Digitized by Google

8. S. OTTONIS Epiſcopi.

Fuit Epiſcopus Bambergenſis, qui Pomeranis Evangelium prædicavit & eosdem ad fidem convertit, migravit ex hac vita Anno 1139. *M. R. ad Non. Julii.*

9. S. HERMETIS, de quo ſupra n. XI.

10. S. OSWALDI. *)

Meminit hujus M. R. ad Non. Aug.

Migravit ex hac vita Anno Domini 642. *crediturque propter ſummam erga pauperes liberalitatem dextram ejus, poſt fata, manſiſſe incorruptibilem.*

11. S. TIBVRTII.

Hic ſub judice Fabiano in perſecutione Diocletiani cum nudis plantis ſuper carbones ardentes ingreſſus Chriſtum majori confiteretur conſtantia, duci in tertium ab urbe milliarium, atque ibidem gladio animadverti jubetur. M. R. ad III. Id. Aug.

12. S. MARCIANI, de quo ſupra n. XI.

13. S. VICTORIS.

Sanctorum hujus nominis numerat M. R. XXXV, ad quem horum hæc reliquia pertineat, incertum.

14. S. WILHALDI.

Hic Wilhaldus primus civitatis Bremæ fuit Epiſcopus, qui una cum S. Bonifacio, cujus diſcipulus fuit, in Friſia & Saxonia Evangelium propagavit. Ordinatus fuit ejus ſedis Epiſcopus Anno Domini 788. *M. R. ad VI. Id. Novembr.*

15. S.

*) Is A. 635. factus eſt Rex Northumbriæ in Anglia; A. 642. occiſus multis miraculis inclaruit. A. 909. ejus corpus fuit translatum de Bardanigge in Merciam. Vid. ſuper his Chronicon Saxonicum ab Edmundo Gibſon editum Oxonii 1692. pag 30. 31. 102. Conf. Venerab. Beda Operum T. III. eccles. hiſt. gentis Anglorum lib. 3. cap. 6 & 7. *S. Oſwaldi* vitam, res geſtas, miracula, & honorem ipſi habitum, quam pleniſſime ediſſerunt Acta SS. menſ. *Auguſti* T. II. a. d. V. pag. 83 -- 103.

15. S. HERMELAI Presbyteri.

Hunc M. R. non habet, creditur martyriſatus Nicomediæ ſub Maximiano.

16. S. PETRI Epiſcopi Alexandriæ.

Hic cum eſſet omnibus virtutibus exornatus, Maximini præcepto capite obtruncatus. M. R. ad VI. Kal. Decembr.

17. S. HADRIANI.

Horum IV. numerat M. R. ad quem noſtra pertineat, incertum.

18. S. ANTONII.

M. R. numerat X. Antonios, ad quem horum ſpectet, ignoratur.

19. S. BUDEI.

Quis ille ſit, neſcitur.

20. De SANGUINE S. LUDGERI Epiſcopi. *)

Hic Epiſcopus Monaſterienſis, qui Saxonibus Evangelium prædicavit, dictus Saxonum Apoſtolus, claruit temporibus Caroli M. Imperatoris, obiitque Ao. Domini 809. vid. M. R. ad VII. Kal. Apr. & Baronius in h. l.

21. S. OSWALDI, de quo paulo ante.

22. S. GODEHARDI, de quo ſupra n. XV.

23. S. SEXTI.

Meminit hujus M. R. ad Prid. Kal. Jan.

24. S. WILBRANDI, quem M. R. non habet.

25. S. MARGARETÆ.

M. R. habet III. Margaretas, ad quam harum pertineat, latet.

26. S. CÆCILIÆ, de qua ſupra n. XX.

27. S. WALBURGIS de qua ſupra n. XIX. & XLVII.

28. S.

*) Vita S. Ludgeri ab Altfrido Epiſcopo Monaſterienſi ſcripta, exſtat apud Leibnitium T. I. p. 85. ſeqq. Conf. Acta SS. *Martii* T. III. a. d. XXVI. p. 626-665. item Origg. Guelf. Tomus V. p. 19. ſeqq.

Digitized by Google

28. S. URSULÆ de qua ſupra n. XX. & XXI.

29. S. PERPETUÆ.

Hæc martyrium paſſa eſt ſub Severo. Meminit ejus M. R. ad Non. Martii.

30. S. FELICITATIS.

Hæc cum eſſet prægnans exſpectata juxta leges, ut pareret, dum parturiebat, dolebat, objecta feris gaudebat. M. R. ad Non. Mart.

31. S. GERTRUDIS, de qua ſupra n. XI.

32. S. ELISABETÆ, de qua ſupra n. XXXI.

33. S. SVSANNÆ.

M. R. tres numerat Suſannas martyres.

34. S. CUNEGUNDIS.

Hanc M. R. non habet.

35. S. INNOCENTII.

M. R. VI. hujus nominis recenſet martyres.

36. De VIRGA AARONIS.

37. De LAPIDE SVB CRVCE DOMINI.

38. THEBÆORVM.

LIIX.

Exigua machina cuprea inargentata in formâ monſtrantiæ cum turri & duabus alis eburneis; In cujus medio cornu pellucidum cum oſſe, ſine inſcriptione.

LIX.

Arcula quadrata oblonga, cujus operculum lapis eſt non vulgaris, reliquâ ciſtæ parte argento deaurato obducta. Habet XII. loculamenta, imaginum receptacula *(Niches)* in quorum ſingulis effigies alicujus Apoſtoli, columnis cryſtallinis (quarum

Digitized by Google

una eſt deperdita) diſtinctis. An, & quid intus reconditum ſit, arcula hactenus clauſa, nondum ſcitur.

LX.

Ciſta oblonga cupro deaurato ornata, in cujus operculo (lapide non vulgari) Agnus cum quatuor Evangeliſtarum ſymbolis. De inſcriptione hujus operculi non niſi ſequentia, quæ tamen ſenſum non habent, ſuperſunt:

DE LAPIDE † DE PANE FACTO VITÆ † DEXTR. JSE OMO.

LXI.

Arcula lignea bipes cujus operculum lapis rarus: ad latera ſtant XII. figuræ æneæ; quid intus, neſcitur.

LXII.

Alia talis ciſta pedibus ferreis innixa, ornata adhuc V. lapidibus pretioſis, nihil in ea jacere ex pondere ſit probabile.

LXIII.

Vaſculum ligneum lamina argentea deaurata in parte ſuperiori obductum, quæ militem equitantem repræſentat, cujus collum ex lapide raro: circa caput deauratum equitis 5. Rubini & 47. margaritæ, latere cœruleis lapidibus repleto, ad dextram partem capitis ſtant hi græci characteres:

O A
Δ I ad ſiniſtram T P
M I I O S

ὁ ἁ h. e. ἅγιος διμίτριος pro δημήτριος h. e. Sanctus Demetrius.

M. R. VII. nominat Demetrios, ad quem horum pertineat, incertum manet.

LXIV.

Machina lignea intus & extra argento obducta, inſiſtensque pedi argenteo, in qua:

1. De

1. De TVNICA S. ANNÆ matr. B. Mariæ.
2. FASCICVLVS reliquiarum anonymarum, quarum una os eſt, reliquæ in pulverem redactæ. In operculo 7. lapides.

LXV.

Arcula octangula ferreis clavis undique ſubpacta: in qua repoſita particula

De cranio S. COSMÆ martyris. *De quo ſupra Nro. XXI.*

LXVI.

Vaſculum æreum deauratum figuram cyathi referens, cui Chriſtus inſiſtit. In illo inveniuntur Reliquiæ 4.

1. S. ALEXANDRI, de quo ſupra n. X.
2. S. MARGARETHÆ, de quo ſupra n. LVII.
3. FASCICVLVS ex ſyndone absque inſcript.
4. Pannus viridibus filis perſutus.

LXVII.

Ciſtella cuprea polite ornateque inaurata (Germanis vocatur *amuliret)* in cujus

Operculo NATIVITAS CHRISTI.

Ad latus unum GLORIA IN EXCELSIS DEO.

Ad latus alterum TRES SANCTI, quorum uni adſcriptum eſt BENEDICT: quid in iſta machina hactenus clauſa reconditum ſit, incertum eſt.

LXVIII.

Machina lignea in forma ſcyphi deaurata, in cujus turri jacet lacinia de veſtibus S. anonymi.

LXIX.

Hierotheca lignea in qua reliquiæ:

1. S. PANCRATII.

Qui alius ab illo, cujus ſupra facta mentio ad Nr. VI. Hic Tauromenii in Sicilia Epiſcopus, qui Chriſti Evangelium, quod à S. Petro Apoſtolo illuc miſſus prædicaverat, martyrii ſanguine conſignavit. M. R. ad III. Non. Apr.

2. S. JULIANÆ virginis & Martyris.

VII. Recenſet M. R. Julianas, ad quam harum ſpectet, incertum.

3. S. TRINODIÆ virginis & martyris.

Hanc M. R. non habet.

4. S. CANDIDÆ.

VI. SS. Candidas nominat M. R. ex quibus hæc reliquia forte pertinet ad Candidam, de qua M. R. ad XII. Kal. Octobr. Carthagine S. Candida virgo & martyr ſub Maximiano Imperatore plagis toto corpore dilacerata martyrio coronatur.

5. S. SAVINÆ alias SABINÆ virginis & martyris.

Hæc fæmina religioſiſſima Mediolani ad ſepulchra Sanctorum Naboris & Felicis orans, obdormivit in Domino. vid. M. R. ad III. Kal. Febr.

6. S. SPECIOSÆ virginis & martyris.

Hujus M. R. non meminit.

7. SS. XI. mille virginum.

8. S. MARGARETÆ virginis, de qua ſupra n. LVII.

9. S. GRATÆ virginis & martyris.

Meminit ejus M. R. ad Kal. May.

10. S. FLORENTIÆ virginis & Martyris.

Duarum hujus nominis meminit M. R.

11. S. PLACENTINÆ virginis & martyr.

Hujus in M. R. non fit mentio.

12. S. MUSTIOLÆ virginis & martyris.

Hæc matrona Cluſii in Etruria ſub Aureliano Imperatore diverſis atrocibusque ſuppliciis cruciata coronam martyrii meruit. vid. M. R. ad V. Non. Julii.

13. S. PROTHI martyris.

Hic

Digitized by Google

Hic trium illuſtrium martyrum Cantii, Cantiani & Cancianillæ fratrum pædagogus ſub Diocletiano & Maximiano Imperatoribus, ob Chriſtianæ fidei conſtantiam, capite plexus eſt una cum diſcipulis. vid. M. R. ad Pr. Kal. Jun.

14. S. JOHANNÆ virginis ex XI. millibus.

15. S. OSANNÆ. Hanc M. R. non habet.

16. S. vel HABILIÆ, vel NABILIÆ.

Schedula enim liquido legi non poteſt. Sed nec hi ſancti vel ſanctæ nominantur in M. R.

17. S. CORDVLÆ virginis ex XI. millibus.

18. Reliquiæ SS. virginum.

19. DUO FRAGMENTA LAPIDIS VERSICOLORIS.

20. FASCICVLVS Reliquiarum incertarum.

21. Alius talis faſciculus.

22. Alius adhuc faſciculus cum hac inſcriptione nihil ſignificante:

IMI. PERARIS ETERT REGIS ET MART.

LXX.

Arcula quadrata ænea deaurata operis Damaſceni, in qua reliquiæ:

1. S. STEPHANI, de quo ſupra n. XIX.

2. S. SEBASTIANI, de quo ſupra n. VII.

3. S. HIPPOLITI.

V. numerantur hujus nominis in M. R. ad quem hæc pertineat, incertum.

4. LONGVS CLAVUS FERREVS. ſine inſcript.

5. VITRVM in quo oleum S. MARIÆ cum hac epigraphe:

Oleum de ubere genetricis Dei virginis Mariæ emanavit, in loco qui Sardinia vocatur — — — ubi gentilitas eſt, ex imagine lignea.

6. VITRVM in quo oleum S. NICOLAI.

7. VITRVM in quo oleum incertorum SS.

Digitized by Google

LXXI.

In capſula rotunda abſque operculo ſervantur:

1. Fragmenta ovi Otidis cum hac epigraphe in lingua Saxonica, charactere monachali:

Dat trappen Ey iſt entwey.

h. e. ovum Otidis eſt confractum.

2. CONCHÆ S. JACOBI Minoris.

3. CHELÆ vel forceps cancri S. Petri Apoſt.

LXXII.

Theca cornea circumcirca cupreis laminis deauratis ornata, in qua reliquiæ ſeqq:

1. De S. ANDREA Apoſtolo.

2. De S. LAURENTIO, de quo ſupra n. II.

3. De S. BERWARDO, de quo ſupra n. XV.

4. De S. IGNATIO.

Hic S. Ignatius Epiſcopus & martyr, qui tertius poſt Beatum Petrum Antiochenam rexit Eccleſiam, atque in perſecutione Trajani damnatus ad beſtias, Romam vinctus mittitur, ubi præſente Trajano, circumſedente Senatu, immaniſſimis pœnarum ſuppliciis primo affectus, leonibus dehinc objicitur: Quorum dentibus præfocatus hoſtia Chriſti efficitur. M. R. ad Kal. Febr.

5. De VESTE S. MARIÆ virginis.

6. De S. CÆCILIA, v. ſupra n. XX.

7. De S. EUPHEMIA virgine & martyre.

Hæc Chalcedone ſub Diocletiano Imperatore & Priſco Proconſule tormenta, carceres, verbera, argumenta rotarum, ignes, pondera lapidum, beſtias, plagas virgarum, ſerras acutas, ſartagines ignitas, pro Chriſto ſuperavit. Sed rurſus in theatrum ad beſtias ducta, cum oraſſet ad Dominum, ut jam Spiritum ſuum ſuſciperet, una ex iis morſum S. corpori infigente, ceteris pedes ejus lambentibus, immaculatum Spiritum Deo reddidit. vid. M. R. ad XVI. Kal. Octob. Quid per *pondera lapidum* intelligatur, vid. apud Cardinalem Baronium ad hunc locum.

8. De

8. De s. BARBARA, de qua ſupra n. XXI.

9. De s. MARTINO, de quo ſupra n. XXI.

LXXIII.

Buſtum S. Blaſii cum mitra Epiſcopali argento inaurato obductum, variis lapidibus ornatum. In pectore præfert cryſtallum, ſub quo leguntur ſequentia:

In hoc s. BLASII Epiſcopi & martyris capite, ſunt Sanctorum reliquiæ multæ.

De quo ſupra Nro. III.

LXXIV.

Ciſta lignea quadrata metallo inaurato obducta, cujus operculum eſt lapis rarus variegatus, in quo Chriſtus cum omnibus ſuis Apoſtolis. Tab. XIX.

Jacent intus

1. Septem OSSA.
2. FASCICVLVS reliquiarum incertarum.
3. Alius priori ſimilis.
4. FASCICVLVS reliquiarum cum hac inſcriptione:

Reliquiæ Sanctorum, quas Dominus Otto Dux Brunsvicenſis, Templarius, Domino Alberto Halberſtadienſi Epiſcopo dedit, quorum nomina ſunt ignota, Patruus dicti Domini Epiſcopi Halberſtadienſis fuit Otto.

LXXV.

Altare in forma ſepulchri ligneum inauratum, ſchedula intus reperta teſtatur, inter alias etiam reliquias s. WENCESLAI reconditas ibi eſſe, de quibus autem nihil comparet. Comparet autem

1. S. STANISLAI Epiſcopi & martyris reliquia.

Hic Cracoviæ in Polonia Epiſcopus à Boleslao impio Rege necatus eſt, teſte M. R. ad Non. Maji. Ad quæ Card. Baronius. *Paſſus eſt anno VIImo Gre-*

Gregorii VIImi Papæ, à quo Rex impius & eius interfector Regno ſolenni ritu privatus eſt, & excommunicatus pariterque ipſum Poloniæ Regnum ſacris eſt interdictum. Relatus in SS. numerum ab Innocentio IV. ſummo Pontifice.

2. De SEPVLCHRO DOMINI.
3. S. APOLLINARIS, martyris, de quo ſupra n. LVII.
4. S. JVLIANÆ, de qua ſupra n. LXIX.
5. FRAGMENTVM OSSIS de S. anonymo.

LXXVI.

Machina lignea viridi colore illinita & variis floribus argenteis exornata: In qua marſupium cum hac inſcriptione:

Reliquiæ ſunt hic

1. De LIGNO DOMINI.
2. De SEPVLCHRO DOMINI.
3. De S. PETRO Apoſtolo.
4. De S. WENCESLAO.

Hic in Bohemia Dux Bohemorum & martyr, ſanctitate & miraculisglorioſus. in domo fratris ſui necatus, victor pervenit ad palmam. M. R. ad IV. Kal. Oct. Ab aliis non Dux ſed Rex vocatur, necatusque eſſe creditur à fratre ſuo Boleslao I. Ao. Dom. 940.

5. DENS GHEORII forte Georgii, de quo ſupra n. XXI.
6. De S. BLASIO, vid. ſupra n. III.
7. De S. NICOLAO, vid. ſupra n. XIV.
8. De S. MARTINO, vid. ſupra n. XXI.
9. De S. EVSTACHIO, vid. ſupra n. X.
10. OLEVM CATHARINÆ de ſepulchro KATARINÆ, vid. ſupra Nro. XXI.
11. S. BARBARÆ virginis, vid. ſupra n. XXI.
12. S. MARGARETÆ virginis, vid. ſupra n. LVII.
13. XI. MILLE VIRGINVM.

14. AG-

Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google

14. AGNETÆ virginis, de qua ſupra n. X.

15. ELISABET & aliorum Sanctorum.

16 Crumena coreacea cum reliquiis s. GUNTHILDIS. *)

Hanc M. R. non habet.

LXXVII.

Scatula **) rubra lignea oblonga, in qua

1. S. ABUNDI martyris, forte Abundii. ***)

Abundum enim M. R. non habet, *habet autem VIII. Abundios, ad quem illorum noſtra pertineat, incertum.*

2. S. BONIFACII. ****)

M. R. X. habet Bonifacios, veroſimile eſt hanc pertinere ad Bonifacium Epiſcopum Moguntinum, qui de Anglia Romam veniens & à Gregorio II. in Germaniam miſſus, ut fidem Chriſti illis gentibus evangelizaret, cum maximam multitudinem præſertim Friſonum Chriſtianæ religioni ſubjugaſſet, Germanorum Apoſtolus meruit appellari, noviſſimè in Friſia à furen-

*) De hac in Actis SS. *Febr.* T. III. a. d. XXI. p. 235. lit. *A.* pauca hæc memorantur: "*S. Guntildis virgo,* Abbatiſſa monaſterii *Bibelis,* ſive *Bilebis,* aut *Bib-* „*lisheim,* ſanctimonialium ordinis Benedictini, ab ejus patre, *Mompelgardiæ* „*Comite,* fundati, in *diœceſi Argentinenſi,* ſcribitur à Trithemio in Chronico Hir- „ſaugienſi ad annum MCXXXI. miraculis clara in medio ejus cœnobialis ec- „cleſiæ ſepulta. Non inde ſequetur, *Sanctam* abſolute ab Eccleſia declaratam, „ut eam Menardus appellat ad hunc diem in Martyrol. Benedictino. Bucelinus „ſolum *Venerabilem* nuncupat.

Alia eſt *S. Gunthildis ancilla* virgo, quæ colitur in *Piberach* in Epiſcopatu Eyſtadienſi. Vide Acta SS. *Septembr.* T. VI. a. d. XXII. p. 530. ſeqq.

**) Intellige capſam, vel pyxidem, germanice *Schachtel.*

***) Forte etiam *S. Habundi;* cujus corpus una cum aliis à Carolo M. in eccleſia Mindenſi depoſitum fuiſſe, tradit Wern. Rolevink de antiqua Saxonia, cap. 8. apud Leibnitium Script. T. III. p. 628.

****) Vide Acta SS. menſ. *Junii,* T. I. a. d. V. pag. 452-504. (ad A. 755.)

Digitized by Google

furentibus gentilibus gladio peremptus martyrium conſummavit. vid. M. R. ad Non. Junii.

3. De S. CRUCE.

4. SCARIG. VIRGINII, forte SS. Virginum.

5. S. ADELBREHT, h. e. ADALBERTI Epiſcopi & martyris.

Hic Bragenſis (h. e. Pragenſis) Epiſcopus & martyr, qui Polonis & Hungaris Evangelium prædicavit. M. R. ad IX. Kal. Maj. Martyrio occubuit Ao. Domini 997.

6. De VESTE S. FRANCISCI. *)

Fundatoris Ordinis Minorum. vid. M. R. ad IV. Non. Oct.

7. S. JACOBI INTERCISI magna portio.

De hoc M. R. ad V. Kal. Decembr.

In Perſia S. Jacobus interciſus martyr conſpicuus, qui tempore Theodoſii junioris, cum in gratiam Isdegerdis Regis Chriſtum negaſſet, & propterea mater ejus & uxor ab ipſius ſe conſuetudine ſubtraxiſſent, ad ſe reverſus, pro Chriſti confeſſione Regem adiit, à quo irato juſſus eſt membratim concidi & capite obtruncari.

8. Reliquiæ SS. VIRGINUM.

9. S. VINCENTII, de quo ſupra n. XI.

10. S. PANCRATII, de quo ſupra n. VI. & X.

11. S. SIXTI, de quo ſupra n. LVII.

LXXIIX.

Ciſta lignea in forma ſepulchri, ornata argento deaurato, in operculo habet 6. figuras & ad latera 12. Apoſtolos, exſtant ibidem verſus hi Leonini:

Hos per Theologos divino fonte repletos
Eſt conſummatum, cecinit quod pagina vatum,
Infirmisque reis ſtillat nova gratia legis
Iſti ſunt viſi, qui ſede meant Paradiſi.

Jacet

*) Vide Acta SS. menſ. Octobr. T. II. a. d. IV. pag. 545. uſque ad f. (ad A. 1226.)

Digitized by Google

Jacet hac in ciſta

1. OS LONGVM S. SATVRNINI martyris.

M. R. habet hujus nominis XXII. ad quem pertineat, incertum.

2. VARIARVM RELIQVIARVM FASCICVLI, ſcilicet:

   1. S. ANDREÆ APOSTOLI.
   2. De SCAPVLA S. GEORGII martyris, vid. ſupra n. XXI.
   3. De LAPIDE B. MARIÆ virginis.

LXXIX.

Machina octangula cum operculo acuminato, in qua ſequentes reliquiæ, quas Albertus Epiſcopus Halberſtadienſis Eccleſiæ S. Blaſii, in qua ſepultus eſt, dono dedit: Tab. XX.

1. De TIBIA S. GEORGII, vid. ſupra n. XXI.
2. S. MARCIANI martyris, vid ſupra n. XI.
3. S. HERMETIS, de quo ſupra n. XI.
4. S. LVCÆ EVANGELISTÆ.
5. S. AFFRÆ, de qua ſupra n. X.
6. S. JANUARII, de quo ſupra n. XI.
7. S. SEVERÆ virginis.

Meminit ejus M. R. ad XIII. Kal. Aug. Ad quem locum Card. Baronius: *Fuit hæc ſoror S. Modoaldi Epiſcopi Trevirenſis & ITTÆ conjugis Pipini Ducis, claruit circa Annum Domini 660.*

8. De LAPIDE IN QVO STETIT CRVX DOMINI.
9. S. PANTALEONIS martyris.

Hic profeſſione Medicus, qui Nicomediæ à Maximiano Imperatore pro fide Chriſti tentus, & equulei pœna ac lampadarum exuſtione cruciatus, ſed inter hæc Domino ſibi apparente, refrigeratus, tandem ictu gladii martyrium conſummavit. M. R. ad VI. Kal. Aug.

10. De DENTE CHRISTOPHORI, v. ſupra n. XXI.
11. S. URSULÆ, de qua ſupra n. XXI.

12. S. VINCENTII, martyris, de quo ſupra n. XI.

13. S. ODALRICI, de qua ſupra n. XXI.

14. S. APOLLINARIS, de qua ſupra n. LVII.

15. S. THOMÆ Apoſtoli.

16. S. ANDREÆ - - -

17. S. JOHANNIS BAPTISTÆ.

18. De CAPITE S. MARIÆ MAGDALENÆ.

19. S. BARTHOLOMÆI Apoſtoli.

20. De S. CÆCILIA, v. ſupra n. XX.

21. De S. LONGINO, v. ſupra n. XXI.

22. De BRACHIO S. GEORGII, v. ſupra n. XXI.

LXXX.

Sacculus ruber ſericus, qui ſchedulam habet cum hac inſcriptione:

BVRSA cum RELIQVIIS APOSTOLORVM.

Reliquiæ inibi contentæ ſunt

1. S. AFRI. Hunc M. R. non habet.

2. S. ABRUNCULI Archiepiſcopi & confeſſoris.

Hunc M. R. non exhibet. *)

3. S. BARTHOLOMÆI Apoſtoli.

4. S. SIMONIS Apoſtoli.

5. S. THADDÆI Apoſtoli.


6. S. BARNABÆ Apoſtoli.

7. S.

*) De S. Abrunculo, ſive Aprunculo, confeſſore & Epiſcopo Trevirenſi (ad A. 532.) vide Acta SS. menſ. *April.* T. III. a. d. XXII. p. 30.

Digitized by Google

Lips. Tab. XX, pag. 75



BIBLIOTECA NAZIONALE "VITTORIO EMANUELE III" NAPOLI

Digitized by Google

Digitized by Google

7. S. MATTHÆI Apoſtoli.

8. De RELIQVIIS S. PAVLI Apoſtoli.

LXXXI.

In ſcatula quadam faſciculus magnus reliquiarum incertarum.

LXXXII.

Faſciculus ſubniger ſericus cum ſchedula, cui inſcriptæ Reliquiæ ſequentes:

1. S. ANDREÆ Apoſtoli.

2. S. PANCRATII martyris.

Vel ille cujus ſupr. Nr. VI.

Vel iſte cujus ſupr. Nr. LXIX. facta eſt mentio.

3. S. ANTONII martyris, de quo ſupra n. LVII.

4. De SEPVLCHRO DOMINI.

5. S. PALMATII martyris.

Hic vel ILLE eſt qui Treviris in perſecutione Diocletiani ſub Rictio Varo præſide martyrium ſubiit. Vel ISTE Conſul, qui cum uxore & filiis & aliis promiſcui ſexus quadraginta duobus de domo ſua decollatus eſt. v. M. R. ad III. Non. Oct. & VI. Idus Maji.

6. S. THEODORI Martyris, de quo ſupra n. XXVI.

7. SS. COSMÆ & DAMIANI, de quibus ſupra n. XXI. (p. 46.)

8. S. MARCELLINI & PETRI.

Hic Marcellinus Presbyter & Petrus exorciſta, qui multos in carcere ad fidem erudientes, ſub Diocletiano poſt diræ vincula, & plurima tormenta à Sereno judice decollati ſunt Romæ in loco, qui dicebatur SYLVA NIGRA, quæ poſtea in honorem Sanctorum commutato nomine SYLVA CANDIDA appellata eſt. Horum corpora in crypta, juxta S. TIBVRTIVM *ſepulta ſunt, eorumque ſepulcrum* S. DAMASVS *Papa verſibus poſtea ornavit. M. R. ad IV. Non. Junii.*

Digitized by Google

9. SS. Duorum EWALDORUM. *)

Apud Antiquos Saxones EWALDI *duo martyres, cum eſſent presbyteri & Chriſtum ibi prædicare cœpiſſent, comprehenſi ſunt à paganis, & occiſi; Ad quorum corpora noctu multa lux diu apparens, & ubi eſſent & cujus eſſent meriti, declaravit. M. R. ad V. Non. Octob.*

10. S. AMBROSII, Epiſcopi Mediolanenſis.

Celeberrimus ille priſcæ Eccleſiæ Pater, Epiſcopus & confeſſor, cujus ſtudio, inter cætera doctrinæ & miraculorum inſignia, tempore Arrianæ perfidiæ tota fere Italia ad Catholicam fidem converſa eſt. M. R. ad Prid. Non. Apr. Annos LXIV. vixiſſe certum eſt, de emortuali ejus die controvertitur.

11. S. FELICIS Epiſcopi Trevirorum vel Tibirenſis.

Duorum enim horum meminit M. R. ad VII. Kal. Apr. & ad IX. Kal. Novembr.

12. S. MARIÆ MAGDALENÆ, de qua ſupra n. LXXIX.

Tab. XXI. 13. S. CORONÆ virginis & martyris. **)

In

*) De his fratribus (quorum alter *albus*, alter *niger* cognominabatur, amboque in Weſtfalia occiſi dicuntur) ex profeſſo diſputant Hagiographi Antverpienſes a. d. III. *Octobr.* p. 180 - 207. Conf. noſtra *Hiſtoria antiquiſſima Comitatus Benthemienſis*, p. 40. ſeq. ubi nonnihil, quod Antverpienſium induſtriam fugit, adnotavimus.

**) S. CORONAE (martyris ſæculi II. circa A. LXXVII.) corpus, *Canoſſæ* olim aſſervatum, nunc *Quedlinburgi* integrum oſtendi, affirmat teſtis αὐτόπτης Eccardus Origg. Guelf. T. I. p. 405., abeſſe tamen illius *pollicem dextrum* (qui Electori Saxoniæ Friderico ab Abbatiſſa Quedlinburgenſi dono datus & Wittebergam translatus fuit) diſcimus ex ipſius Electoris litteris A. 1502. apud D. ab Erath in Codice diplom. Quedlinburgenſi p. 870. —— Imaginem, hic à nobis repetitam, una cum aliis figuris ex veteri codice Vaticano (continente Domnizonis verſificatoris laudes Mathildis ducis, Gregorio VII. P. M. amiciſſimæ) depingi curavit Leibnitius, ut ipſe pluribus commemorat in veſtibulo Script. Brunſv. T. I. N. 40. Adde Origg. Guelf. Tom. cit. p. 457. In inferiori iconis parte apparet *Goteſredus*, Epiſcopus Brixienſis, *membra ſecans ſancti* Apollonii, *dans ea patri.*

Digitized by Google


Corpora scõrū Rex attoni dedit horum
(Lips T. XXI, p. 78)
Corp. S. Coron
Corp. S. Victor
MĒ BRA SECAT SCI GOTEFREDˢ DANſEA PAT RI
NAPOLI

In Syria ſub Antonino Imperatore Victor à Sebaſtiano judice variis & horrendis affectus eſt cruciatibus: Quem CORONA *uxor cujusdam militis cum cœpiſſet Beatum prædicare, ob martyrii conſtantiam, vidit duas coronas de cœlo lapſas, unam Victori & alteram ſibi miſſam: Cumque hoc cunctis audientibus teſtaretur, ipſa quidem inter arbores ſciſſa, Victor vero decollatus eſt. vid. M. R. ad Prid. Id. Maj.* Ad quem locum Card. Baronius. *Plutarchus in Alexandro hoc ſupplicii genus, quod diaſphendonem vocat, ita deſcribit, cum incurvatis violenter duarum erectarum arborum cacuminibus alligatum corpus miſſis arboribus ſcinditur.*

14. DIONYSII Epiſcopi & martyris avunculi S. Afri.

M. R. XX. numerat Dionyſios, ad quorum unum hæc pertinebit reliquia.

15. De TABVLA AD QVAM SEDIT DOMINVS CVM DISCIPVLIS SVIS in Cana.

16. S. WILLIBALDI.

*Hic in Saxonia *) primus Eiſtetenſis Epiſcopus, qui una cum S. Bonifacio laborans in Evangelio, multas gentes convertit ad Chriſtum. M. R. ad Non. Julii.*

17. S. HABVNDÆ. Hanc M. R. non habet.

18. S.

patri. In ſuperiori parte conſpicitur *Rex quidam,* dans corpora S. CORONAE & *S. Victoris* Attoni Principi, vel Comiti Luccenſi. Quæ ſingula plenius cognoſci poſſunt ex Domnizonis carmine apud Leibnitium cit. T. p. 639. ſeq. item Origg. Guelf. T. 1. p. 404. & ſeq. ubi Eccardus probabiliter conjicit, per *Regem anonymum* vix alium, quam *Ottonem I.* intelligi poſſe; ab Attone autem corpus S. CORONAE ad Adelheidem Imperatricem (de qua nonnihil diximus ad N. XI. p. 30.) perveniſſe; ab hac demum ad ejus filiam Mathildem, Abbatiſſam Quedlinburgenſem.

De hiſce omnibus ne γρῦ quidem apud Henſchenium & Papebrochium in Actis SS. menſ. *Maji* T. III. a. d. XIV. p. 265 - 271. quamvis ibi *de SS. Victore milite & Corona martyribus in Aegypto*, eorumque crebris translationibus, ſtudioſe agatur.

*) Lege: *Franconia.* De hoc primo Eichſtetenſi Epiſcopo, vid. Jo. Geo. ab Eckhart Commentarii de rebus Franciæ Orientalis, T. 1. p. 389. item Jo. Henr. von Falkenſtein Antiquitates Nordgavienſes, Germanice ſcriptæ, P. I. ab init. Adde ſis Acta SS. menſ. *Julii* T. II. a. d. VII. pag. 485 - 519. (ad A. 786.)

Digitized by Google

18. S. WALBURGIS. *vid. M. R. Nr. XIX. & XLVII.*

19. S. GUNTILDIS. Hanc M. R. non habet. (Vide N. LXXVI.)

LXXXIII.

Faſciculus quidam, in quo

OSSA S. JACOBI INTERCISI. *De quo ſupra Nr. LXXVII.*

LXXXIV.

Burſa in forma crumenæ, in qua

1. Pars de OSSE KETILLIP pr. quod ſenſum non habet.

Hunc M. R. non habet.

2. Reliquiæ S. VALERII TREVIRENSIS Archiepiſcopi, de quo ſupra n. XVI.

3. De CASULA S. LUDGERI Epiſcopi.

De ipſo S. LUDGERO. vid. ſupr. Nr. LVII. p. 64.

4. ANSGARII Epiſcopi. *)

Hunc M. R. non habet, mortuus creditur Anno Domini 865.

5. BURGARDI confeſſoris.

Hunc M. R. vocat primum Herbipolenſis civitatis Epiſcopum ad Prid. Idus Octobr.

6. WILDEADI Epiſcopi, de quo ſupra.

LXXXV.

Faſciculus oſſium in ſyndone rubra, quorum nomina ignorantur.

LXXXVI.

Faſciculus oſſium verſicolor.

LXXXVII.

Os albo linteo involutum alicujus Martyris ignoti.

LXXXIIX.

*) De S. Anſchario, Archiepiſcopo Hamburgenſi (ad A. 865.) vide Acta SS. menſ. Febr. T. I. a. d. III. p. 391 - 445.

Digitized by Google

LXXXIIX.

Faſciculus reliquiarum incertarum in ſyndone.

LXXXIX.

Alius incertarum reliquiarum faſciculus.

XC.

Scatula in qua charta cum litera A ſignata, in qua reliquiæ ſequentes:

1. LAPILLVS cum hac inſcriptione:

DE MONTE IN QVO CHRISTVS CIBABAT 4000} Marc. 8. 5000} Joh. 6.

2. S. NICOLAI, de quo ſupra n. XIV.
3. De TRA NATVS DNI. h. e. de terra, in qua natus Dominus.
4. CHRISTOPHORI martyris, de quo ſupra n. XXI.
5. Germanice *von dem berge dear unſe leve Herre de vannen vardt, un uſe leve frue ör bedde dede alle dragen.*

Quod quia ſenſum non habet, in ſermonem latinum transferri non poteſt. *)

XCI.

Faſciculus reliquiarum incertarum in viridi ſyndone.

XCII.

Oſſiculum chartæ involutum ſine inſcriptione.

XCIII.

Faſciculus reliquiarum incertarum in ſyndone viridi.

XCIV.

*) Immo poteſt, modo ea quæ ſunt Saxoniæ inferioris, recte proponantur; id eſt, ſi loco *de vannen*, legatur: *gevangen;* loco *bedde*, leg. *gebed;* loco *dragen*, legatur: *dagen;* ſenſu jam facili & plano: *de monte* (videlicet Oliveti) *ubi Dominus captus fuit, & ubi B. Virgo Maria quotidie orabat.*

Digitized by Google

XCIV.

Os chartæ involutum.

XCV.

Charta alia literâ B. ſignata, in qua duo oſſa majora

De S. LAURENTIO, v. ſupra n. II.

XCVI.

Linteo incluſa ſunt

Os ſpectabile & particulæ cranii de S. MARTINO, de quo ſupra n. XXI.

XCVII.

Faſciculus alius reliquiarum ſine inſcriptione, ſed probabiliter de eodem

S. MARTINO.

XCIIX.

Chartæ involuta eſt

COSTA S. GEORGII martyris.

Hunc ſub Trajano Imperatore Cordubæ in Hiſpaniâ paſſum eſſe teſtatur M. R. ad VI. Kal. Aug.

XCIX.

In linteo continentur reliquiæ ſequentes:

1. De S. LAVRENTIO v. ſupra n. II.
2. De S. JVLIANA v. ſupra n. LXIX.
3. EMÜTI Epiſcopi. Hunc M. R. non habet.
4. RELIQVIÆ S. SEXTI, de quo ſupra n. LVII.
5. OS XI. MILLE VIRGINVM.
6. OS S. STEPHANI protomartyris.
7. S. ELEUTERII martyris.

Sep-

Digitized by Google

Septem numerantur Sancti Eleuterii, ex quibus probabiliter hæc reliquia pertinet ad S. Eleuterium Ordinis Senatorii, qui Conſtantinopoli pro Chriſto in perſecutione Maximiani gladio cæſus eſt. M. R. ad Prid. Non. Aug.

C.

In rubra ſyndone aſſervantur oſſa cum hac inſcriptione, quod ſint

1. BRACHIUM & MULTÆ ALIÆ RELIQUIÆ XI. MILLE VIRGINUM.
2. BRACHIUM S. CORDULÆ virginis.

CI.

In ſacculo antiquo jacet ſchedula cum inſcriptione:

1. RELIQUIÆ de S. CATHARINA. *De qua ſupr. Nr. XXI.*
2. RELIQUIÆ S. JOHANNIS Baptiſtæ.
3. De COLUMNA, ad quam Dominus flagellatus fuit.
4. S. GEORGII martyris. *De quo ſupr. Nr. XXI.*

CII.

Sacculo inſunt reliquiæ

1. De TABULA DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI.
2. De S. ELISABETHA VIDUA. *De qua ſupr. Nr. XXXI.*
3. De S. MAXIMO.

Horum SS. M. R. numerat XXVIII. ad quem noſtra pertineat, incertum eſt.

4. S. THEODORI martyris. *vid. ſup. Nr. XXVI.*
5. SS. MAURORUM. *Meminit eorum M. R. ad XI. Kal. Septembr.*
6. Schedula cui inſcriptum: DABETARIUS ſur quem – ∸ – calcavit, quando aſcendit in cœlum; quæ ſenſum non habent. *)
7. S. VICTORIS. *De quo ſupr. Nr. LVII.*
8. S. GEREONIS. *De quo ſupr. Nr. XXI.*

9. S.

*) Forſan legendum: *de Tapete ſuper quem Dominus* &c.

9. S. NICOMEDIS.

Hic presbyter & martyr cum Romæ diceret compellentibus ſe ſacrificare: Ego non ſacrifico, niſi Deo omnipotenti, qui regnat in cœlis; Plumbatis diutiſſimè cæſus migravit ad Dominum. M. R. ad XVII. Kal. Octobr.

10. S. CORONÆ virginis & martyris.

De qua ſupra Nr. LXXXII. (ſ. 13. pag. 78. ſeq.)

CIII.

Damaſceni operis marſupium bombyceum, in quo

1. De CRINIBVS WILHELMI FRATRVM MINORVM.

Hunc M. R. non nominat.

2. S. MARTINI Confeſſoris Epiſcopi. *De quo ſupr. Nr. XXI.*

3. DENS S. EVPHEMIÆ. *De qua ſupr. N. LXXII.*

4. De DENTE S. CHRISTOPHORI. *vid. ſupr. Nr. XXI.*

5. De URSULA. *De qua ſupr. Nr. XXI.*

6. S. JVSTI confeſſoris.

Horum numerantur XII. ad quem pertineat incertum.

CIV.

Burſa cœrulei coloris cum ligula verſicolore, in qua multæ reliquiæ, quarum inſcriptiones adeo confuſæ, ut diſtinctè nominari non poſſint, interim ex ſchedulis conſtat, contineri in eadem reliquias:

1. S. PRIMITIANI, *quem M. R. non habet.*

2. S. PASTORII, *quem M. R. non habet.*

3. S. CÆCILIÆ, *de qua ſupr. N. XX.*

4. S. FELICVLÆ.

Hujus nominis duas M. R. memorat martyres ad XVI. Kalend. Martii & ad Idus Junii, & quidem de hac ſeqq.

Hæc virgo & martyr Flacco nolens nubere, nec idolis immolare, tradita eſt Romæ cuidam judici, qui eam in confeſſione Chriſti perſeverantem, poſt tenebricoſam cuſtodiam, & famis inediam, tamdiu fecit in equuleo tor-

Digitized by Google

torqueri, donec emitteret Spiritum, & ſic demum deponi & in cloacam præcipitari, quam S. Nicomedes via Ardeatina ſepelivit.

5. S. HELENÆ, *cujus meminit M. R. ad XI. Kal. Junii.*

6. S. BONIFACII Epiſcopi & Martyris, *de quo ſupr. N. LXXVI.*

7. S. MARTIANI, Epiſcopi & Martyris, *de quo ſupr. N. XI.*

8. S. YPPOLITI martyris, *de quo ſupr. N. LVII.*

CV.

Duo magna oſſa PHILIPPI & JACOBI Apoſtolorum.

CVI.

Burſa rubra, in qua Reliquiæ

1. S. ODILIÆ virginis. Hanc M. R. non habet.

2. S. MARCELLI PP.

Horum SS. M. R. numerat XVI. ad quorum unum hæc pertinebit.

3. S. ALBINÆ virginis & martyris, de qua ſupra n. X.

4. S. BENIGNÆ virginis. Hanc M. R. non habet.

CVII.

Tres faſciculi inter ſe cohærentes cum incertorum Sanctorum reliquiis.

CVIII.

Theca lintea, in qua Reliquiæ ſeqq.

1. De S. EMERENTIA.

Hæc virgo & martyr, cum adhuc Catechumena Romæ oraret ad ſepulchrum S. Agnetis, cujus fuerat collectanea, à gentilibus lapidata eſt. M. R. ad X. Kal. Febr.

2. De PORTA, QVAM DOMINUS TRANSIVIT.

3. S ANCIÆ virginis. Hanc M. R. non habet.

4. S. VITI martyris, de quo ſupra n. XIX.

Digitized by Google

5. S. VENANTII martyris.

Hic Camerini in Umbria annos XV. natus, ſub Decio Imperatore, & Antiocho Præſide, una cum aliis decem glorioſi certaminis curſum cervicibus abſciſſis implevit. M. R. ad XV. Kal. Junii

6. S. SPEI Epiſcopi.

Meminit ejus M. R. non ſub Epiſcopi ſed Abbatis nomine, ad V. Kal. Apr. Apud Nurſiam S. Spes Abbas miræ patientiæ vir, cujus anima cum ex hac vita migraret, in columbæ ſpecie à cunctis fratribus viſa eſt in cælum aſcendere.

7. S. FENELLÆ virginis & martyris, quam M. R. non habet.

8. De PEDE - - - MAVRITII martyris. *vid. ſupr. Nr. IX.*

9. S. GRATÆ virginis, vid. ſupra n. LXIX.

10. S. ADELHARDI. Hunc M. R. non habet. *)

11. S. PIRMINII confeſſoris. *Hujus meminit M. R. ad III. Non. Nov.*

12. De DORSO S. GEORGII martyris. vid. ſupra n. XXI.

13. De CAPILLO S. SIMEONIS monachi.

Hic S. Simeon monachus Antiochiæ in columna ſtans, multos annos vixit, unde & Stylitæ nomen accepit, cujus vita & converſatio exſtitit mirabilis. Vid. M. R. ad Non. Januar. Et in hunc locum Card. Baronius vixiſſe eum demonſtravit circa annum Chriſti 381. *& centenario majorem obdormiviſſe.*

14. SS. MAVRITII & GANGOLFI forte Gandulfi martyrum.

Poſterioris meminit M. R. de primo vid. ſupr. Num. IX.

15. De SEPVLCHRO CHRISTI.

16. SS. COSMÆ & DAMIANI. vid. ſupra n. XXI.

17. De

*) De *S. Adelhardo*, vel *Adelardo*, Abbate Corbejenſi ſæc. IX. vide Acta SS. a. d. II. Januar. p. 96. ſeqq. De ejus genere nobiliſſimo diſputatur etiam Origg. Guelf. T. IV. pag. 329 & 349. conf. Falke in Codice Traditionum Corbejenſium; p. 3. & 280.

Digitized by Google

17. De Tunica - - -

18. S. ROSÆ virginis.

Meminit illius M. R. ad Prid. Non. Sept. Claruit temporibus Friderici Imperatoris, pervenitque usque ad tempora Alexandri Papæ IV.

19. S. SERII. Hunc M. R. non habet.

20. S. VINCENTIÆ virginis & martyris. *Quam M. R. non habet.*

21. ANASTASII martyris.

Horum nominat XIX. M. R. ad quem pertineat, ignoratur.

CIX.

Involucro ſubtili textili aureis literis diſtincto teguntur:

1. S. BENEDICTÆ virginis & martyris. *De qua ſupr. N. X.*
2. S. LIVTHRVDIS. *) *Hanc M. R. non habet.*
3. Iterum S. LIVTRVDIS.
4. S. PAMPHILI confeſſoris.

M. R. IV. habet Pamphilos, quis autem iſtorum hic noſter, ignoratur.

5. S. FELICIS Epiſcopi & martyris. *De quo ſupr. Nr. LXXXII.*
6. S. GEREONIS martyris. *De quo ſupr. Nr. XXI.*
7. S. STEPHANI Papæ & martyris. *De quo ſupr. Nr. XIX.*
8. De LINGVA S. FRANCISCI. *Meminit ejus M. R. ad IV. Non. Octob.*
9. S. COVINI martyris. *De quo M. R. nihil habet.*
10. S. GERTRVDIS. *De qua ſupr. Nr. XI.*
11. De STATVA IN QVA VERBERATVS EST DOMINVS.
12. S. PIÆ virginis. *Meminit hujus M. R. ad XIV. Kal. Febr.*
13. S. ALBINÆ. *De qua ſupr. Nr. X.*
14. SS. ABDEN & SENNES. *Vid. ſupr. Nr. X.*
15. S. ELISABETHÆ viduæ. *De qua ſupr. Nr. XXXI.*
16. S. GALLI Confeſſoris.

Duos

*) Vide quæ ſupra Nr. V. poſuimus.

Digitized by Google

Duos Gallos habet M. R. Unum Epiſcopum Arvern. ad Kal. Julii, Alterum Abbatem ad XVII. Kal. Novembr. Conſtat aliunde, S. Gallum aliquem etiam fuiſſe Scotum natione, qui in Gallia & Helvetia prædicaverit Evangelium & anno Domini 640. *ætatis anno* 95. *ſit mortuus; ad quem horum pertineat incertum.*

17. S. MARGARETÆ virginis. *De qua ſupr. Nr. LVII.*

18. S. SEVERI, de quo ſupra n. XXIX.

19. S. MARNOLFI *) Confeſſoris, hunc M. R. non habet.

20. PEL - - - SVNT OSSICVLA.

21. S. CARPOPHORI Martyris.

Horum quatuor recenſet M. R. ex quibus tres facti Martyres ſub Diocletiano, ſub quo coronam acceperit quartus, M. R. tacet: Veroſimile igitur eſt, cum aliunde conſtet, hunc ſub Maximiano paſſum, illum eſſe de quo M. R. ad VII. Id. Aug. teſtatur, quod in confeſſione Chriſti capite fuerit truncatus.

CX.

Hierotheca, in qua

1. Brachium S. PINOSÆ. *Hanc M. R. non habet.*

2. Tria OSSA ſpectabilia undecim mille virginum.

CXI.

Sericum rubrum in quo reliquiæ

1. GAVDERII confeſſoris, forte GAVDENTII.

Quorum V. habet M. R. ad quem vero horum pertineat, incertum.

2. S.

*) Quum nemo hujus nominis inter Sanctos inveniatur, haud dubie legendum eſt: *Meinolphi*, vel *Meinulphi* qui (ut Nicolaus Schaten Hiſt. Weſtſal. libro VII. p. 468. refert) ſuſceptore Carolo M. baptizatus eſt, deinde in Clerum Paderbornenſem cooptatus condidit monaſterium virginum Bodecenſe, tandemque miraculis inclytus Divorum ordini adſcriptus eſt. Plura de eodem apud Hagiographos Antverpienſes menſ. *Octobr.* a. d. V. pag. 171-225.

Digitized by Google

2. S. RADILMI Epiſcopi & confeſſoris. *Hunc M. R. non habet.*

3. LUVINI Confeſſoris. *M. R. hunc non exhibet.*

CXII.

Schedula cum hac epigraphe:

Reliquiæ plurimorum SS. martyrum Confeſſorum & virginum.

CXIII.

Faſciculus reliquiarum in rubra ſyndone, ſine ſchedula.

CXIV.

Faſciculus reliquiarum in fuſca ſyndone absque ſchedula.

CXV.

Faſciculus priori reſpondens.

CXVI.

Faſciculus incertarum reliquiarum.

CXVII.

Faſciculus priori æqualis.

CXVIII.

Faſciculus ejusdem generis.

CXIX.

Alii adhuc tales faſciculi colligati.

CXX.

Reliquiæ incertæ in involucro membraneo.

CXXI.

In linteolo continentur ſequentes reliquiæ:

1. S. CEMÜTI Epiſcopi, de quo ſupra n. XCIX.

2. XI. MILLE VIRGINUM.

3. S. ELEUTHERII, de quo vid. ſupra n. XCIX.

4. S. STEPHANI protomartyris.

5. S. SEXTI, de quo ſupra n. LVII.

6. De S. LAVRENTIO, de quo ſupra n. II. & X.

7. De S. JVLIANA, de qua ſupra n. LXIX.

CXXII.

Chartâ purâ involuta ſunt

Incertorum Sanctorum oſſa XVI.

CXXIII.

In ſacculo reperitur faſciculus reliquiarum, in quo

De S. THOMA Cantuarienſi Epiſcopo & Martyre. Vid. ſupra n. XXXVI.

CXXIV.

In fuſco faſciculo ſunt Reliquiæ ſeqq.

1. S. JOACHINDI, quem M. R. non habet.

2. S. BONIFACII, de quo ſupra n. LXXVII.

3. S. BACHI.

Hic nobilis Romanus ſub Maximiano Imperatore tamdiu nervis crudis cæſus eſt, quoad uſque toto corpore diſciſſus in confeſſione Chriſti emitteret Spiritum. M. R. ad Non. Oct.

4. S. LANCILLÆ virginis & Martyris. *Hanc M. R. non habet.*

5. De CAPITE S. COSMÆ martyris. *vid. ſupr. Nr. XXI.*

6. S. PANCRATII Martyris, de quo ſupra n. LXIX.

7. S. SPECIOSÆ virginis, de qua ſupra n. LXIX.

8. S. MARTINI Epiſcopi, de quo ſupra n. XXI.

9. S. CECILIÆ virginis, de qua ſupra n. XX.

10. De PETRA - - - reliqua legi non poſſunt.

11. Reliquiæ S. MARIÆ.

12. De BACVLO S. (forte) BONIFACII. *De quo ſup. Nr. LXXVII.*

13. S.

Digitized by Google

13. S. LAVRENTII, de quo ſupra n. II.

14. S. SPECIOSÆ virginis.

15. S. PERPETVÆ virginis, de qua ſupra n. LVII.

CXXV.

In linteolo oblongo conduntur

1. Faſciculus Reliquiarum ſine ſchedula.
2. Ruber Faſciculus Reliquiarum ſine ſchedula.
3. Alius faſciculus Reliquiarum ſine ſchedula.
4. Faſciculus coloris carnei (incarnat) reliquiarum ſine ſchedula.
5. Faſciculus alius incarnatus Reliqq. ſine ſchedula.
6. Faſciculus linteus Reliqq. ſine ſchedula.
7. Alius talis faſciculus ſine ſchedula.

CXXVI.

In linteolo ſunt Reliquiæ

S. GERMANÆ. *Meminit hujus Martyr. R. ad XIV. Kal. Febr.*

CXXVII.

In ſacculo ſerico rubro lorato conſpicitur

Os incerti alicujus Sancti.

CXXIIX.

In burſa coriacea reperiuntur 16. diſtincti faſciculi Reliquiarum ſine inſcriptione ſub numeris 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16.

CXXIX.

Burſa ſubnigra, in qua jacent XVI. faſciculi reliquiarum, ſine inſcriptionibus Sanctorum incertorum.

CXXX.

Linteum conſtrictum in quo OSSA plurima ſine inſcriptionibus.

Digitized by Google

CXXXI.

In rubra ſyndone colligata

1. Faſciculus Reliquiarum ſine inſcriptione.

2. Faſciculus ſimiliformis.

CXXXII.

In conſtricta ſyndone rubra

1. Faſciculus Reliquiarum absque inſcriptione.

2. Faſciculus ſimilis.

3. Faſciculus ſimilis.

CXXXIII.

Faſciculus linteus colligatus ſub ſigno † in quo reliquiæ

1. S. PANCRATII, de quo ſupra n. LXIX.

2. TRIA MAGNA OSSA XI. MILLE VIRGINVM.

Omnes hæ reliquiæ, nondum ornatæ à Nr. LXXX. usque ad Nr. CXXXIIX. jacent in ſcatula magnâ rotunda.

CXXXIV.

Cornu S. BLASII *) ex ebore, quo in campanarum defectu fratres ſuos convocavit.

CXXXV.

Sculptura S. BLASII in ligno deaurato habitu Epiſcopali, dextra cornu ſuum gerens, in quo inveniuntur Reliquiæ ſeqq.

1. S. FABIANI martyris, de quo ſupra n. XIX.

2. S. SEBASTIANI martyris, de quo ſupra n. VII.

3. SS. JOHANNIS & PAVLI martyrum.

Hi Johannes & Paulus fratres, quorum Primus erat Præpoſitus domus, ſecundus Primicerius Conſtantiæ virginis, filiæ Conſtantini Imperatoris, Romæ

*) Vide dicta ad N. III.

Digitized by Google

Romæ in monte Cælio ſub Juliano Apoſtata martyrii palmam gladio cædente perceperunt. M. R. ad VI. Kal. Julii.

4. S. KILIANI martyris. *)

Hunc M. R. non habet. Aliunde autem conſtat Epiſcopum fuiſſe Herbipolitanum I. qui juſſu Geilanæ Principis Gosberti conjugis, quem paulo ante baptizaverat, occiſus eſt, Anno 688.

5. S. YPOLITI martyris, de quo ſupra n. LVII. & LXX.

6. S. PEREGRINI martyris.

Hic Romæ primo ſub Commodo Imperatore in equuleo levatus, nervis quoque diſtentus, ac deinde fuſtibus cæſus eſt, flammis circa ejus latera appoſitis, & cum in laude Chriſti fideliſſime permaneret, plumbatis usque ad emiſſionem Spiritus mactatus eſt. M. R. ad VIII. Kal. Sept.

CXXXVI.

Arcula cornea cupreis laminis deauratis ornata, in qua Reliquiæ:

1. S. PONTIANI, de quo ſupra n. XXI.

2. Faſciculus ex flava ſyndone reliquiarum ſine inſcriptionibus.

CXXXVII.

Arcula lignea quadrata, in qua jacet balteus quibusdam in locis lamellis argenteis & rubris lapidibus ornatus, ſine inſcriptione.

CXXXIIX.

Ciſta eburnea cupro deaurato ornata, cujus Reliquiæ ſunt deperditæ.

CXXXIX.

Ciſta lignea quadrata inſiſtens quatuor pedibus cupreis, cujus operculum partim ex metallo, in quo Icon S. MATTHÆI conſpicitur cum inſcriptione:

S. MATTHEVS. VENIET DIES CVM AVFFERTVR.

Intus

*) De *S. Kiliano*, Epiſcopo & martyre Herbipolitano, vide Acta SS. mens. *Julii* T. II. a. d. VIII. pag. 599-619. (ad A. 689.)

Digitized by Google

Intus nihil. Probabile eſt, S. Matthæi reliquias aliquas hic fuiſſe reconditas.

CXL.

Scatula lignea rotunda, in qua

1. Caput S. incerti.
2. Aliud tale caput in linteo inſutum, cujus fimbria denticulata.

CXLI.

Theca quadrata plumbea ſub L. A. in qua

1. Faſciculus reliquiarum, cui appendet ſchedula cujus amplius nihil legi poteſt præter SINAR.
2. Sex faſciculi reliquiarum ſine inſcriptionibus.
3. S. COLVMBANI.

Hic Monaſterii Bobienſis Abbas, multorum Cænobiorum fundator plurimorum monachorum exſtitit pater multisque virtutibus clarus, in ſenectute bona quievit. M. R. ad XI. Kal. Decembr.

CXLII.

Vaſculum quadratum plumbeum ſub L. B. in quo

1. Particula Spongiæ absque ſchedula.
2. Quatuor faſciculi lintei, in quibus reliquiæ ſine inſcriptione.

CXLIII.

Parva monſtrantia in qua reliquiæ

1. De S. LAVRENTIO martyre.

De quo ſupr. Num. II.

2. De dente S. AVIANI Confeſſoris.

Hunc M. R. non habet.

EMEN-

Digitized by Google

EMENDANDA.

In DISQVIS. ANTIQ. Pag. 5. lin. 8. pro §. 3. lege: §. 2. Pag. 49. l. 6. ab imo, pro *ſeuplcra*, lege: ſepulcra. Pag. 53. l. 4. in Nota, pro κωμᾶται, lege: κωμᾶτα. Pag. 54. l. 13. pro *vitæ*, lege: vita.

In LIPSANOGRAPHIA. Pag. 15. lin. 6. ab imo, ponantur duo aſteriſci, ſive ſtellulæ **). Pag. 17. lin. 7. ab imo, pro *reverentur*, lege: reverenter. Pag. 67. n. LXVI. ſ. 2. pro *quo*, leg. qua. Pag. 76, lin. 3. & 4. bis pro *qua*, leg. quo. Verum hæc & ſimilia operarum menda, ſi forte occurrent, lector bonus & doctus facile tollet.

AD BIBLIOPEGVM.

Tabulæ in æs inciſæ (XXI.) ſpectant omnes ad *Lipſanographiam*, & ſecundum paginarum numerum inſerendæ ſunt.

An den Buchbinder.

Die XXI. Kupferabdrücke gehören alle zur Lipſanographie *(oder 2ten Theil) und ſind nach der Seitenzahl einzukleben.*

Digitized by Google

HANOVERÆ

EX OFFICINA POCKWITZIANA.

VA1 153.0779

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google